


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



49. 234.



DE
MARCIONE LUCANI EUANGELII
ADULTERATORE.

QUAESTIONEM

DE

MARCIONE LUCANI EUANGELII, UT FERTUR, ADULTERATORE,

COLLATIS HAHNII, RITSCHELII ALIORUMQUE SENTENTIIS, NOVO EXAMINI SUBMISIT

D. HARTING,

THEOL. DR.

TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. PADDENBURGII & SOC.

MDCCCXLIX.


BIBLIOTHECA·BODLEIANA·
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA

VIRIS CLARISSIMIS SUMMEQUE VENERANDIS

H. J. ROYAARDS,

H. BOUMAN, H. E. VINKE,

THEOLOGIAE DOCTORIBUS, EJUSDEMQUE IN ACADEMIA

ULTRAJECTINA PROFESSORIBUS ORDINARIIS,

LIBELLUM HUNCCE, GRATI SUI ANIMI

SIGNIFICANDI CAUSA,

DEDICAVIT AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quem publici juris facere ausus sum libellum de Marcione *Euangelii Lucani adulteratore, is proprie hunc in finem a me conscriptus fuit, ut specimen qualecumque tandem doctrinae ederem, quo defendendo ad summos in theologia honores rite atque legitime consequendos via mihi pateret. Postquam vero honores illos sponte in me conferre Amplissimo Academiae Ultrajectinae Senatui visum est, ejusmodi specimine opus mihi esse desiit, adeoque nihil fuit, quod me ad disquisitionem hancce historico-criticam doctorum examini submittendam amplius cogeret. At ne dicam librum meum tunc temporis jam pro maxima parte typis fuisse mandatum, imprimis urgenda mihi videbatur occasio, qua fautoribus meis publice gratias possem referre pro insigni quam mihi praestiterunt benevolentia. Nemo enim non intelligit, quid quantumque horum liberalitati ac munificentiae debeam. Nemo non intelligit, optime de me esse meritum Amplissimum Virorum Clar. collegium, ex cujus decreto dignitas mihi oblata fuit, quam fore ut aliquando obtinerem, diu enixe speraveram. Neque ergo mirabitur quis, opportunitatem studiose a me expeti, datamque arripi, qua gratum meum animum publice testari liceat. Hoc autem acturo, cum tua imprimis, Clar.* Muller, *qui, a juventute inde mea ad hunc usque diem, tot tamque eximia*

beneficia in me contulisti, tum vestra merita laudanda mihi sunt, Clar. Viri, qui theologicis in Academia Ultrajectina praeestis studiis, quique, dogmaticam qualemcumque tandem inter nos dissensionem parum curantes, ut docendi jure donarer a Senatu petere nulli dubitastis. Eximium hocce verae liberalitatis specimen permagni a me aestimari, vix opus est ut dicam. Documento sit, quamquam exiguo, quod, venia mihi data, librum huncce vobis dedicavi, adeoque simul testatus sum, nihil unquam gratius mihi esse futurum, quam vestro auspicio, vobisque ducibus, quem mihi indicastis doctrinae tramitem strenue sequi. Quod, cum hacce opportunitate publice a me significari potuisse gaudeam, seorsum denique tu mihi compellandus es, Promotor aestumatissime, Clar. Royaards! *Desunt mihi verba, quae satis justo exprimant, quam egregie tu imprimis de me sis meritus, auxilio mihi in hujus speciminis compositione praestando, pluribusque laboribus in meam gratiam suscipiendis, quibus, si minus bene mihi cupiisses, profecto non tanta humanitate atque benevolentia perfuncturus fuisses. Accipe igitur, — nam aliam pro tantis meritis mercedem tribuere vires meas superat, — accipe gratissimi mei animi sinceram hancce piamque significationem, simulque promissum, me, dum vivam, nunquam immemorem esse futurum obsequii quod mihi praestitisti, idque semper adnisurum esse, ut in dies magis pateat, me tantis honoribus, quantos etiam tua opera in me collatos video, non plane indignum esse habendum.*

Scripsi ante Kal. Jul. MDCCCXLIX.

CONSPECTUS.



PARS TERTIA.

INTROITUS.

§. I.

Argumenti expositio.

Marcionem, cum Justini Martyris, tum Valentini aliorumque gnosticorum philosophorum aequalem, postquam juvenis navigandi artem exercuisset, dein monachicam vitam per aliquod tempus egisset, tandem a Cerdone quodam institutum, magistrique vestigiis insistentem, haereticam professum fuisse doctrinam, quae saltem talis a plerisque et habebatur et tractabatur, nec non ob eam causam ab ecclesiae, quae *catholicam* se nuncupari voluit, communione esse remotum, historia testis est. Neque minus inter omnes constat, eum, utpote gnosticis erroribus deditum, summoque odio habentem, quidquid Judaismum ipsi sapere videretur, permultas opiniones non fovisse solum, sed et tradidisse, quae Christianae doctrinae adversentur, quaeque a S. Scripturae tum mente, tum verbis ipsis, quam maxime abhorreant (1). At non eodem modo omnis dubitationis

(1) De praecipuis Marcionis placitis, nec non de ejus vita et moribus paulo fusius agendi infra nobis locus erit.

expers negotium est, qualem se in adhibendis scriptis gesserit, quae Apostolica auctoritate in primaeva ecclesia invaluerunt, atque hoc ipso titulo, communi omnium suffragio, in canonem inserta fuerunt, definire. Nemini quidem non notum est, neque prorsus ab ullo in dubium vocatur, Marcionem non omnibus, quibus N. Foederis Canon constat libris, usum fuisse. Etenim disertissimum est veterum testimonium, eum, si unum Lucae Euangelium et decem Pauli epistolas excipias, librorum, quibus ecclesia apostolicam tribuit auctoritatem, nullum in Canonem suum recepisse. Quaeritur autem, utrum hisce ipsis scriptis, quorum veritatem atque authentiam non, ut ceterorum, impugnabat, simpliciter usus sit, an ita quoque abusus, ut ea ad arbitrium ab illo interpolata, magisque minusve adulterata esse, censere nos oporteat. Imprimis quod Lucae Euangelium attinet, in duas partes abierunt VV. DD., quum nimirum pars eorum, et quidem longe plurimi, traditione ecclesiastica freti, Marcionem ingenti quadam audacia atque temeritate in librum hunce invasisse, ingenioque suo male critico tam libere indulsisse statuerint, ut membra disjecta, amputata, quin tota capita abscissa non curaret; alii, contra, eum a tam gravi criminatione non solum vindicari posse, sed etiam quam maxime liberandum esse existimaverint, ostendentes, vel saltem ostendere conati, testimonia in hac re ab antiquis ecclesiae doctoribus reddita, aut aperte falsa esse, aut non tanti momenti, ut missis omnibus, quae Marcionis integritatem contestari videantur, fides

iis habenda sit. Jam a Semleri inde temporibus haec postrema opinio in medium fuit prolata, sensimque plures nacta est defensores, qui variis argumentis nisi, communi de Marcione sententiae obloquerentur. Ipse Semlerus primus, aut in primis fuit, qui doctorem Ponticum non adulterasse Lucae Euangelium, sed aliam tantum hujus libri quasi ἔκδοσιν secutum fuisse affirmare ausi sunt (1). Jam si ei auscultamus, Marcionis vitium in nulla alia re consistere dicemus, nisi in eo, quod, ipse Paulinae doctrinae addictus, Euangelio usus sit a Pauli discipulo quodam s. sectatore conscripto, ideoque gentilibus Christianis tunc temporis non tantum cognito, sed etiam agnito; eumque ob nullam aliam causam tantum ecclesiasticorum odium in se contulisse, nisi quod hi editione uterentur, quae ipsis non tam auctior et emendatior, quam potius intactior et antiquior videretur, cuique propterea soli Apostolicam originem atque auctoritatem tribui vellent. Post Semlerum etiam Griesbachius (2) causam pro Marcione dixit, eum nonnisi Lucae Euangelio usum fuisse, ut a Tertulliano et Epiphanio proditum legimus, omnino negans; quem deinceps alii, aliis argumentis usi, ut Lofflerus (3), Corrodi-

(1) Hanc nempe sententiam jam tuitus est Semlerus in adnotationibus suis ad versionem germanicam operis praeclari a R. Simone conscripti, cui titulus est: *Histoire critique du texte du N. Testament.*

(2) *Opusco. Academica*, Tom. II. p. 124 sq.

(3) *Marcionem Pauli epistolas et Lucae Euangelium adulterasse dubitatur.* 1788.

us (1), Schmidtius (2), Eichhornius (3), secuti sunt. Quin tam felici haec Semleriana hypothesis fruebatur successu, ut, uno Storrio excepto (4), theologorum praeterlapsi et ineuntis hujus saeculi nemo ei contradixerit, nemo traditionis ecclesiasticae veritatem amplius tueri aggressus sit. Tandem has partes susceperunt Arnethius (5), Schutzius (6), Hugius (7), Gratzius (8), imprimis vero Hahnius (9) et Olshausenius (10), quorum duorum virorum opera res ad tantam perspicuitatem perducta et tam certa videbatur, ut omnium statim adsensum referret eorum de Marcione cum interpolatore, tum adulteratore Euangelii Lucae sententia, quique antea, ut Gieselerus (11), contrariam fovissent opinionem, nunc

---

(1) *Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des jüdischen und christlichen Bibelkanons.* Halle 1792. Tom. II. p. 158 sqq.

(2) *Ueber das ächte Evangelium des Lucas, eine Vermuthung.* Invenitur haecce lucubratio in Henkii diario: *Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte.* 1796. V. 3. p. 468 sqq.

(3) *Einleitung in das N. T.* T. I. p. 40—78.

(4) *Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis.* Tubingen 1786. p. 254.

(5) *Ueber die Bekanntschaft Marcions mit unserm Canon und insbesondre von dem Evangelium desselben.* Linz. 1809.

(6) *Dissertatio critica de euangeliis, quae ante euangelia canonica in usu ecclesiae Christianae fuisse dicuntur.* Regiomont. 1812.

(7) *Einleitung in das N. T.* Ed. I. T. I. p. 60 sqq.

(8) *Kritische Untersuchungen über Marcions Evangelium.* Tubingen 1818.

(9) *Das Evangelium Marcions in seiner ursprünglichen Gestalt* u. s. w. Königsberg 1823.

(10) *Die Echtheit der vier Kanonischen Evangeliën*, u. s. w. Königsberg 1823.

(11) *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, 3te Aufl. T. I. s. 161 sqq.

ad illam recurrerent, omnique dubio majus haberent, quin de hac re orta lis ita jam diremta esset, ut in posterum de novo moveri non posset. At quantopere spes ista fefellerit animos nimis securos, proxime abhinc praeterlapsi anni testes sunt. Nimirum primus exstitit Schweglerus, qui in opere suo praeclaro, itidemque famoso, quo ecclesiae catholicae origines perscrutatus est (1), hypothesin Semlero-Eichhornianam denuo commendare studuit, atque adeo, mutandis mutatis, demonstrare, Euangelium, quod dicitur Marcionis, nihil aliud fuisse, nisi vetustam quandam rerum euangelicarum enarrationem, in Christianorum de gentibus usum confectam, eodem modo, quo Euangelium, quod καθ' Ἑβραίους nuncupatur, Judaistarum s. Ebionitarum usui inservire debebat (2); porro enarrationem istam ad primarios fontes pertinuisse, unde Euangelium Lucae canonicum manavit, omninoque, etsi hoc non satis probari possit, satis tamen probabili ratione statuendum esse, auctorem hujus libri, partium studio ductum, antiquam quam invenerat scripturam paulina mente confectam, nonnullis additamentis, ebioniticum praesertim colorem referentibus, eo consilio auxisse, ut utrique, qui a Petri, et qui a Pauli partibus stabant, apostolicam auctoritatem ei

---

Semlero assentitus erat, quod summam attinet rei, in opere suo, cui titulus est: *Versuch über die Entstehung der schriftlichen Evangeliën.* 1818. p. 24 sqq.

(1) *Das nachapostolische Zeitalter nach den Hauptmomenten seiner Entwicklung.* Tubingen 1846.

(2) l. l. I, p. 203 sqq. 260.

tribuere possent. — Presso pede Schweglerum secutus est Ritschelius, qui in hunc ipsum finem libellum satis amplum conscripsit (1), non ut Marcionem falsi, sed ut tertii Euangelii auctorem interpolationis argueret; quam sententiam dein tueri conatus est, ostendendo, cohaerentiam singulorum locorum exigere, ut eam amplectamur. Quodsi nempe quae in Euangelio canonico, non vero pariter apud Marcionem, inveniuntur, legendo praetermiseris, tunc demum omnia recte se habere, tunc demum orationem oriri, quae uno tenore procedat, justisque finibus circumscripta sit, statuit; exinde autem, quod in Lucae Euangelio ordo rerum perturbatus sit, in Euangelio contra Marcionis omnia bene inter se cohaereant, sequi, ut hoc illo sit antiquius, quaeque illud plura habet, censenda esse additamenta, quae postera aetas primariae narrationi adjecerit. — Ritschelium denique et Schweglerum excepit Baurus ille Tubingensis, cui, Euangeliorum canonicorum origines investiganti, hoc unum supererat, intimum suum, quod ad rei summam, cum antecessoribus suis consensum exprimere, quique in hoc duntaxat, sed in hoc quantum posset, elaboravit, ut, quae imprimis a Ritschelio fuse disputata essent, novis argumentis stabiliret, nova luce perfunderet (2).

---

(1) *Das Evangelium Marcions und das kanonische Evangelium des Lucas. Eine kritische Untersuchung von Dr.* A. Ritschl. Tubingen 1846.

(2) *Kritische Untersuchungen über die kanonischen Evange-*

Atque ita factum est, ut, quae lis jam dudum composita videbatur, denuo exarserit. Quaeritur enim etiamnunc, de Marcione quid sit statuendum, utrum revera, ut post Hahnium diu atque universe existimatum fuit, sacrilegas textui S. Scripturae intulerit manus, an vero, quae nonnullorum doctorum virorum est opinio, eum ab isto crimine liberari oporteat?

Cui quaestioni quid respondendum sit, inquirere, argumentorum ab utraque parte in medium prolatorum censu ordine facto, iisque singulis ut decet accurate ponderatis, propositum est hujus opusculi. Antequam vero ad illud accedamus, de rationibus, quae institutam a nobis quaestionem de novo quam maxime tractandam suadent, paucis videamus.

§. II.

Quaestionis summa gravitas.

Scilicet, ut jam de eo non dicam, quod in tota hac re omnem veritatis vere amantem sponte ad se allicit, neminem fugere potest, quasnam, quantique pretii fruges critica, quae dicitur, canonis historia ex ejus investigatione percipere debeat. Enimvero non de hoc solum agitur, utrum Semlero, Griesbachio, Eichhornio aliisque adstipulandum sit, Marcionem non ipso Lucae Euangelio, sed antiquiori quodam hu-

---

kien, ihr Verhältniss zu einander, ihren Character und Ursprung. Tubingen 1847. p. 397 sqq.

jus novi *ἐκδόσει* usum fuisse statuentibus; sed eo gravior quoque facta est quaestio, quo minor dubitandi est locus, quin conjunctim cum aliis magnopere ad dijudicandam valeat crisin, quam hisce temporibus a nonnullis exerceri videmus, crisin ajo, quam Tubingensem nuncupare consuevimus, propterea quod e schola B a u r i Tubingensis profecta est, cuique hoc vel maxime est propositum, spreta traditione ecclesiastica, ex ipsorum librorum canonicorum indole et compositione, ad quamnam aetatem pertineant, quales auctores habuerint, quonamque consilio conscripti sint, colligere. Quodsi nempe, omnibus rite perquisitis, infitias non possumus ire, adulterationem S. Scripturae Marcioni injuria crimini datam fuisse, amplius negare vix poterimus, B a u r u m cum suis haud absque jure traditionem repudiare, quae, dum Ponticum haereticum culpare haud veretur, locupletissimaque corrupti ab illo S. Scripturae textus adfert testimonia, et ipsa se falli passa est, et nobis falsa pro veris prodidit. Contra, si nobis patet, Marcionem reapse falsi criminis reum fuisse, exinde quidem non statim consequitur, traditioni ecclesiasticae in ceteris pariter omnibus fidem esse habendam, at hoc tamen elucet, in errore esse, quotquot eam plane nihili faciant, simulac praejudicatis ipsorum opinionibus oblocuta sit. Porro, si criticorum Tubingensium de Marcione sententia in disceptando praevaluerit, vix aliter fieri poterit, quin etiam ceteris eorum placitis magnam vim tribuamus; quum nimirum haec placita sint, in quibus defen-

dendis ipsi occupati, veritatem historicam e caliginosis, quibus eam superfuderat anilis traditio, tenebris in lucem protraxerint. E contrario vero, si, perpensis omnibus, nulla sufficiens causa invenitur, cur antiquorum testimoniis fidem denegemus, non minus certum est, hoc ipsum nobis documento fore eximiae cujusdam levitatis atque temeritatis, qua scilicet ducti, Marcionem haereticum, quam veritatem tueri maluerunt, ut ne ipsorum placita, qualiacunque tandem, labefactarentur. Praesertim vero, si Tubingensium criticorum rationem habeas, circa ipsum canonicum Lucae Euangelium talis agitur quaestio, qualem barbara voce *vitalem* fere dicere possumus. Quaeritur enim, ut paucis verbis utar, num liber ille permultis additamentis, nec ne, refertus sit. Quaeritur omnino, num aliqua ei auctoritas sit tribuenda, an potius ita statuendum, falsa veris in eo ita commixta esse, ut unum ab altero dignosci amplius non possit. Quodsi enim, ut nunc se habet, partium studio aut simili causae originem debuit, — quamquam bene de auctore ejus, ignoto prorsus, sentiamus, — aliter non fieri potest, quin et fides hujus historica nobis in dubium veniat (1). Profecto rationum satis superque, cur, quod nobis propositum est, pro viribus exsequi conemur. Restat vero, ut de via, quam in disputando inire decrevimus, brevi praemoneamus.

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 1 sq.

§. III.

Disputationis ratio ac methodus.

Tribus igitur partibus disquisitio nostra constabit. *Primo loco* argumenta recensebimus praecipua, quibus nititur sententia, quam ab Hahnio Olshausenioque imprimis commendatam videmus, Marcionem Euangelium, quod a Luca auctore nomen habet, ad libidinem adulterasse. *Dein* de iis videbimus, quae hisce postremis annis vel primum, vel de novo a nonnullis in medium eo consilio prolata sunt, ut Marcionem ab adulterationis S. Scripturae crimine liberarent, simulque ostenderent, Euangelium, quod tertium in N. Foederis canone locum obtinet, nihil aliud esse, nisi antiquioris Euangelii Marcionitici interpolationibus compluribus auctam recensionem. *Postremo*, utraque parte audita, rationum computandarum, simulque, quid in hac re veritati maxime sit consentaneum, dijudicandi locus nobis erit.

PARS PRIMA.

RECENSENTUR PRAECIPUA ARGUMENTA, QUAE SENTENTIAE FAVENT, MARCIONEM EUANGELII LUCANI TEXTUM ADULTERASSE.

---

§. I.

Veteris ecclesiae doctorum patrumque testimonia.

Quotquot sententiam tuentur, Euangelium, quo utebatur Marcion, ex illo, quod Lucae nomine ad nos perlatum est, resecando ac mutilando ortum fuisse, primo et primario loco ad ea provocant, quae antiqui hac de re testati sunt. Idque haud injuria faciunt. Etenim, si ulla res ex horum auctoritate nobis constare potest, haec profecto omni dubio exemta est habenda, quam tam disertis verbis traditam ab iis legimus. Ut de singulis videamus, jam Irenaeus, qui vix aetate minor fuit Marcione (obiit enim a. p. Chr. n. 202 (1), Marcion autem sub Antonino Pio, medio igitur saeculo secundo floruit), in libris, quos *adversus haereses* conscripsit quinque, multis modis Lucae Euangelium a

---

(1) Kirchhofer, *Quellensammlung zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, p. 487. Hahn, l. l p. 10 & 12.

Pontico doctore adulteratum esse, prodidit. Huc pertinent, quae scripsit libr. I. c. 29: » Succedens au» tem ei (scil. Cerdoni) Marcion Ponticus adampliavit » doctrinam, impudenter blasphemans eum, qui a » lege et prophetis annunciatus est Deus." — » Et » super haec, *id quod est secundum Lucam Euange*» *lium circumcidens et omnia quae sunt de gene*» *ratione Dei auferens*, *et de doctrina sermonum* » *Domini multa auferens*, in quibus manifestis» sime conditorem hujus universitatis suum patrem » confitens Dominus conscriptus est, semetipsum esse » veraciorem, quam sunt hi, qui euangelium tradiderunt » apostoli, suasit discipulis suis, non *euangelium*, sed » *particulam euangelii* tradens eis" (1). — Ibid. libr. III. c. 11. 7; » Tanta est autem circa Euangelia haec fir» mitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, » et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur » confirmare doctrinam. Ebionei etenim eo Euangelio » quod est secundum Matthaeum solo utentes, ex illo » ipso convincuntur, non recte praesumentes de Domino. » *Marcion*, autem, *id quod est secundum Lucam cir*» *cumcidens*, *ex his quae adhuc servantur penes* » *eum* blasphemus in solum existentem Deum ostendi» tur. Qui autem Jesum separant a Christo et impas» sibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum di» cunt, id quod secundum Marcum est praeferentes » Euangelium, cum amore veritatis legentes illud, cor-

(1) Irenaei *contra omnes haereses*; ed. Grabio, Oxon. 1702. p. 104.

» rigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo » quod est secundum Joannem plenissime utentes ad » ostensionem conjugationum suarum, ex ipso detegen» tur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus » in primo libro." Et paulo post: » Etenim Marcion » totum rejiciens Euangelium, imo vero se ipsum ab» scindens ab Euangelio, *partem gloriatur se habere* » *Euangelii.*" (1) Adde, quae lib. III. c. 12 scripsit, ut causam declararet, cur Marcion et qui cum eo faciebant, spreta Apostolorum auctoritate, horum scripta rejicerent prorsus, aut saltem adulterarent. » Et Apo» stolos quidem," inquit, » adhuc quae sunt Judaeo» rum sentientes, annuntiasse Euangelium; se autem sin» ceriores et prudentiores Apostolis esse. Unde et Mar» cion et qui cum eo sunt, *ad intercidendas conversi* » *sunt scripturas*, quasnam quidem in totum non co» gnoscentes, *secundum Lucam autem Euangelium et* » *Epistolas Pauli decurtantes*, haec sola legitima esse » dicunt, quae ipsi *minoraverunt.*" Quibus effatis tandem accedat id quod habetur l. III. c. 14. 4: » Et si » quidem refutaverint, hi qui a Marcione sunt non ha» bebunt Euangelium: (hoc enim, quod est secundum » Lucam, quemadmodum praediximus, *decurtantes*, glo» riantur se habere Euangelium)" (2).

Testimoniis hisce Lugdunensis Episcopi luculentiora etiam sunt, quae perhibet nobis Tertullianus, ubi Marcionis dogmata disputando evertere conatur. Universe

(1) Ibid. p. 220 et 223.
(2) p. 231. 236.

huc spectant, quae in libro: » *de praescriptionibus haereticorum* inscripto, Cap. XXXVIII leguntur verba: (1) » Illic igitur et scripturarum et expositionum adulteratio » deputanda est, ubi diversitas [invenitur] doctrinae. Quibus fuit propositum *aliter docendi*, eos necessitas coëgit *aliter disponendi instrumenta doctrinae*. Alias » enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quae docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae [sine corruptela instrumentorum] ejus, ita et nobis integritas doctrinae » non competisset sine integritate eorum, per quae » doctrina tractatur." — » Cum autem omnis interpolatio *posterior* credenda sit, veniens utique ex causa » aemulationis, quae neque prior, neque domestica est » ejus unquam, quod aemulatur, tam incredibile est » sapienti cuique, ut nos adulterum stilum intulisse » videamur scripturis, qui sumus a *principio* et *primi*, (2) » quam illos non intulisse, qui sunt et *posteri* et *adversi*. Alius manu scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quam » Marcion, [manus intulit veritati] (3). Marcion enim » *exerte et palam machaera, non stylo usus est: quoniam ad materiam suam caedem scripturarum con-*

---

(1) Tertulliani *Opera*, *ed.* Rigaltio. Ed. 2. Lutet. 1641. p. 246; ed. Semlero, Hal. 1770. V. II. p. 38, 39.

(2) Sive, ut Semlerus legi mavult: *qui sumus et primi et ex ipsis.*

(3) Verba haec expunxit Semlerus.

» *fecit*; Valentinus autem pepercit, quoniam nòn ad » materiam scripturas, sed materiam ad scripturas ex» cogitavit" rellq. — Quod ad ipsum Marcioniticum Euangelium attinet, Tertullianus multus est in demonstrando, illud quidem nihil aliud fuisse, nisi Lucae Euangelium, id vero perquam adulteratum atque interpolatum. Longius foret, omnia perlustrare, quae *libris* ejus quinque *adversus Marcionem*, quarto imprimis, continentur, unde patet, eum ita sensisse. Sufficiat nonnullos locos excitasse, qui rem ab omni parte ita probare videntur, ut ceteris facile ac sine ullo damno supersedere queamus. Postquam igitur Tertullianus praecedentibus libris in ipsis Marcionis placitis refellendis versatus est, initio quarti (1) sic pergit: » omnem sententiam » et omnem paraturam impii atque sacrilegi Marcionis, » ad ipsum jam Euangelium ejus provocamus, quod *inter*»*polando suum fecit*." Tum Cap. II: » transeo" inquit » nunc ad Euangelii sane non Judaici, sed Pontici interim » *adulterati* demonstrationem." Eum vero sic loquentem Lucae Euangelium cogitasse, etsi Marcion librum suum commentitium ad Lucam auctorem referre recusaverit, ex iis quae mox sequuntur manifesto patet. Sic enim eodem Cap. legimus: » Denique nobis fidem ex » Apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex Aposto» licis Lucas et Marcus instaurant." » Contra, Marcion » Euangelio suo nullum adscribit auctorem, quasi non » licuerit illi titulum quoque adfingere, *cui nefas non*

(1) In edit. Rigaltii l. p. 510 sq.; Semleri V. I. p. 165.

» *fuit ipsum corpus evertere.* Et possem hic jam » gradum figere, non agnoscendum contendens opus, » quod non erigat frontem, quod nullam constantiam » praeferat, nullam fidem repromittat de plenitudine » tituli et professione debita auctoris. Sed per omnia » congredi maluimus, nec dissimulamus quod ex nostro » intelligi potest. Nam *ex iis commentatoribus, quos » habemus, Lucam videtur* (1) *Marcion elegisse, quem » caederet.*" Ibidem Cap. IV (2): » Ego meum (Euange- » lium) dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis af- » firmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos » determinabit, nisi temporis ratio, ei praescribens auc- » toritatem, quod antiquius reperietur, et ei praejudi- » cans vitiationem, quod posterius revincetur? In quan- » tum enim falsum corruptio est veri, in tantum prae- » cedat necesse est veritas falsum." — » Quod ergo » pertinet ad Euangelium interim Lucae, quatenus com- » munio ejus inter nos et Marcionem de veritate dis- » ceptat, adeo antiquius est, quod est secundum nos, » ut et ipsi illi Marcion aliquando crediderit, quum » et pecuniam in primo calore fidei catholicae ecclesiae » contulit, projectam mox cum ipso posteaquam in » haeresin suam a veritate nostra descivit. Quid nunc,

---

(1) *Videri* h. l. non ita esse accipiendum, ac si Tertullianus Marcionem Lucae Euangelium caedisse tantum *suspicatus sit*, contra Lofflerum et Eichhornium pluribus demonstravit Hahnius, l. l. p. 26 sqq. — Adsentiuntur ei recentiores, etiam qui, quod ad summam rei, a parte opposita stant VV. DD. ut Ritschelius, l. l. p. 22.

(2) Rigalt. p. 504. Semlerus p. 162 sqq.

» si negaverint Marcionitae primam apud nos fidem » ejus, adversus epistolam quoque ipsius? Quid si nec » epistolam agnoverint? Certe Antitheses non modo fa- » tentur Marcionis (esse), sed et praeferunt. Ex his » mihi probatio sufficit. Si enim id Euangelium, quod » Lucae refertur penes nos (viderimus an et penes Mar- » cionem) ipsum est, quod Marcion per Antitheses suas » arguit, ut interpolatum a protectoribus Judaismi ad » concorporationem Legis et Prophetarum, qua etiam » Christum inde configerent (1): utique non potuisset » arguere, nisi quod *invenerat.*" — » Itaque dum emen- » dat, utrumque confirmat, et nostrum ulterius, id » emendans quod invenit, et id posterius, quod de » nostri emendatione constituens suum et novum fecit." Ibid. C. V: » Dico itaque apud illas (scil. ecclesias), » nec solas jam Apostolicas, sed apud universas, quae « illis de societate sacramenti confoederantur, id Euan- » gelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod » cum maxime tuemur; Marcionis vero plerisque nec » notum, nullis autem non notum, ut non eo dam- » natum. Habet sane et illud ecclesias, sed suas, tam » posteras quam adulteras, quarum si censum requi- » ras, facilius apostaticum invenias, quam Apostolicum, » Marcione scilicet auctore vel aliquo de Marcionis exa- » mine. Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et » Marcionitae. Eadem auctoritas ecclesiarum apostoli- » carum ceteris quoque patrocinabitur Euangeliis." —

(1) *Confingerent:* Semlerus.

» Igitur dum constet haec quoque apud ecclesiae fuis-
» se, cur non haec quoque Marcion attigit, aut
» emendanda si adulterata, aut agnoscenda si inte-
» gra?" — » Denique emendavit, quod corruptum exis-
» timavit. Sed nec hoc merito, quia non corruptum
» fuit. Si enim Apostolica (Matthaei et Joannis Euangg.)
» integre decucurrerunt, Lucae autem quod est secun-
» dum nos, adeo congruit regulae eorum, ut cum illis
» apud ecclesias maneat, jam et Lucae constat inte-
» grum decucurrisse usque ad sacrilegium Marcio-
» nis." — » Denique ubi manus illi Marcion intulit,
» tunc diversum et aemulum factum est ab Apostoli-
» cis." — Ibid. C. VI: » Sed alium jam minimus gra-
» dum, ipsum, ut professi sumus, Euangelium Mar-
» cionis provocantes si quoque probaturi *adulteratum*.
» Certe enim totum quod elaboravit etiam Antitheseis
» praestruendo, in hoc cogit, ut veteris et novi Testa-
» menti diversitatem constituat, proinde Christum suum
» a Creatore separaturus, ut Dei alterius, et alienum
» Legis et Prophetarum. Certe propterea *contraria quae-*
» *que sententiae suae erasit*, conspirantia cum Crea-
» tore, quasi ab assertoribus ejus *intexta*; competen-
» tia autem sententiae suae reservavit. Haec convenie-
» mus, haec amplectemur, si nobiscum magis fuerint,
» si Marcionis praesumtionem percusserint, tunc et illa
» constabit eodem vitio haereticae caecitatis *erasa*, quo
» et haec reservata sunt."

Quae hucusque nos docuerunt Irenaeus et Tertullianus, *tertio loco* egregio confirmantur testimonio Epiphanii, infestissimi, cum aliarum multarum, tum etiam Marcioniticae haereseos, oppugnatoris († 405). Sic enim apud eum legimus (Adv. Haeres. XLII. § 9) (1): » Ἐλεύσομαι δὲ εἰς τὰ ὑπ' αὐτοῦ (τοῦ Μαρκίωνος) γεγραμμένα, μᾶλλον δὲ ῥᾳδιουργημένα· οὗτος γὰρ ἔχει εὐαγγέλιον μόνον τὸ κατὰ Λουκᾶν, περικεκομμένον ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, διὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος σύλληψιν, καὶ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν. οὐ μόνον δὲ τὴν ἀρχὴν ἀπέτεμεν ὁ λυμηνάμενος ἑαυτὸν ἤπερ τὸ εὐαγγέλιον· ἀλλὰ καὶ τοῦ τέλους καὶ τῶν μέσων πολλὰ περιέκοψε τῶν τῆς ἀληθείας λόγων· ἄλλα δὲ παρὰ τὰ γεγραμμένα προσέθεικε. μονῷ δὲ κέχρηται τούτῳ τῷ χαρακτῆρι τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ, ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὰς παρ' αὐτῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου δέκα, αἷς μόναις κέχρηται. οὐ πᾶσι δὲ τοῖς ἐν αὐταῖς γεγραμμένοις, ἀλλά τινα αὐτῶν περιτέμνων, τινὰ δὲ ἀλλοιώσας κεφάλαια. ταύταις δὲ ταῖς δυσὶ βίβλοις κέχρηται· ἄλλα δὲ συντάγματα ἀφ' ἑαυτοῦ συνέταξε τοῖς ἀπ' αὐτοῦ πεπλανωμένοις." Porro, quod hisce disertissimis verbis tradentem Epiphanium audimus, Euangelii Lucae textum a Marcione corruptum esse, id firmiter ei persuasum fuisse, aliis pluribus tam manifesto probatur, ut dubitationi nullus omnino locus supersit. Immo, quod etiam a Tertulliano fac-

(1) Sancti Epiphanii *Opp. omnia*, edid. Petavius. T. I, p. 302 sq.

tum videmus, multus est, cum in refellendis Marcionis placitis, tum in singulis indicandis vitiationibus, adulterationibus, immutationibus, quibus compertum habebat, Marcionem Euangelio suo eam formam dedisse, qua auctoritati Apostolicae quam maxime repugnaret. Hanc vero ejus *πραγματείαν*, quam *κατὰ τοῦ Μαρκιῶνος ἐποιήσατο* (ibid. § 10), silentio nunc praetermittentes, verbo tantum monemus, etiam apud alios doctores patresque ecclesiae, eosque notissimos, haud pauca reperiri, unde pateat, quam late antiquitus sparsa fuerit opinio, *Λύκον Ποντικὸν*, — quo nomine Polycarpus Marcionem compellasse fertur, — Lucae textum ad libidinem suam mutavisse. Ne de Justino Martyre dicam, nomina citasse sufficiat Origenis (1), Auctoris Pseudorigeniani dialogi de

(1) In epistola, quam hic ad Alexandrinos scripsit, de opere quodam suo ab ignoto auctore corrupto questus: » Videte" inquit » quali purgatione disputationem nostram purgavit, tali nempe, *quali purgatione Marcion Euangelia purgavit vel Apostolum*, vel quali successor ejus post illum Apelles. Nam sicut *illi subverterunt scripturarum veritatem*, sic et iste sublatis, quae vere dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit, quae falsa sunt." (*Opp. Orig.* ed. de la Rue, T. I. p. 6.) — Eandem porro de Marcione sententiam expressam ab illo legimus contra Cels. lib. II. 27 (*Opp. Orig.* ed. de la Rue, T. II. p. 411), ubi gentilem Christianae religionis impugnatorem, S. Scripturam ab ipsis fidelibus adulteratam esse contendentem, refutaturus, ita scripsit: *μετὰ ταῦτα τῶν πιστευόντων φησὶν ὡς ἐκ μέθης ἥκοντας εἰς τὸ ἐφεστάναι αὐτοῖς μεταχαράττειν ἐκ τῆς πρώτης γραφῆς τὸ Εὐαγγέλιον τριχῆ καὶ τετραχῆ καὶ πολλαχῆ καὶ μεταπλάττειν, ἵν' ἔχοιεν πρὸς τοὺς ἐλέγχους ἀρνεῖσθαι· μεταχαράξαντες δὲ τὸ εὐαγγέλιον ἄλλους οὐκ οἶδα ἢ τοὺς ἀπὸ Μαρκίωνος καὶ τοὺς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, οἶμαι δὲ καὶ τοὺς ἀπὸ Λουκάνου· τοῦτο δὲ λεγόμενον οὐ τοῦ λόγου ἐστὶν ἔγκλημα, ἀλλὰ τῶν τολμησάντων ῥᾳδιουργῆσαι τὰ εὐαγγέλια· καὶ ὥσπερ οὐ φιλοσοφίας ἐγκλήματά εἰσιν οἱ Σοφισ-*

recta fide (1), Ephraimi Syri (2), Hieronymi (3), Theodoreti (4) aliorum, quorum effatis si fides habenda sit, Marcion etiam reus dicendus erit criminis, quod e testimoniis, supra a nobis collatis, ei imputari vidimus. Ceterum, quod pariter ex omnibus efficitur, ad tria fere capita referri licet, quorum *primum* est, quo de communi veterum sententia Marcion ejusque

---

ταὶ, ἢ οἱ Ἐπικούρειοι, ἢ οἱ Περιπατητικοὶ, ἢ οἵτινές ποτ' ἂν ὦσιν οἱ ψευδοδοξοῦντες, οὕτως οὐ τοῦ ἀληθινοῦ χριστιανισμοῦ ἔγκλημα οἱ μεταχαράττοντες τὰ εὐαγγέλια καὶ αἱρέσεις ξένας ἐπεισάγοντες τῷ βουλήματι τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας.

(1) Vid. infra § 3.

(2) Christianam fidem vindicaturus, composuit hicce *sermones*, s. potius *hymnos adversus haereses* (Ephraimi *Opp. Syr. et Lat.* T. II.). Ut alia plura taceam, quae illic contra Marcionem ejusque sectatores scripta inveniuntur, hymnus XXII initio haec habet: » merito itaque" (sic nempe syriaca verba latine reddidit Benedictus) » Marcion, *suis Euangelium ussumentis depravare ausus*, ab » ecclesia pulsus et abjectus est."

(3) Memorabilis prae aliis est locus, qui in hujus *Prooëmio epistolae ad Titum* (*Opp: omnia* Tom. IX. p. 242.) invenitur. Sic enim scriptum ab illo legimus: » Licet non sint digni fide, qui fi- » dem primam irritam fecerunt, *Marcionem* loquor et Basilidem et » omnes haereticos, qui Vetus laniant Testamentum, tamen eos ali- » qua ex parte ferremus, si saltem in novo continerent manus suas, » et non auderent Christi, ut ipsi jactitant, boni Dei filii vel *Eu- » angelistas* violare, vel *Apostolos*. Nunc vero quum et *Euangelia » ejus dissipaverint* et Apostolorum epistolas non Apostolorum » Christi fecerint esse sed proprias, miror, quomodo sibi Christia- » norum nomen audeant vindicare. Ut enim de caeteris epistolis » taceam, de quibus, quidquid contrarium suo dogmati viderunt, » eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timo- » theum videlicet utramque, ad Hebraeos et ad Titum."

(4) Paucis quidem sed claris verbis hic de Marcione testatus est, eum Lucae duntaxat Euangelio fuisse usum, variisque modis hunc librum corrupisse. Scripsit enim (Haeret. Tab. I. 24): οὗτος ἐκ μὲν τῶν εὐαγγελίων τὸ κατὰ Λουκᾶν ἐδέξατο μόνον καὶ, τὴν γενεαλογίαν περικόψας, τὰ πλεῖστα.

discipuli unum tantum Euangelium agnoverunt; *alterum*, quod Ponticus unius Lucae auctoritatem secutus fuit; *tertium* denique, quod hujus digestis non ita fidem esse praestandam censuit, ut ea tota atque immutata in canonem suum reciperet, sed resecando ac mutilando iis formam dedit, qua ad placita sua comprobanda adaptata essent.

§ II.

Comparatio Marcionis inter et Lucae Euangelium.

Deperdita quidem ad unum omnia sunt Euangelii, quo Marcion usus fuisse perhibetur, exemplaria; at multa tamen supersunt nobis, unde forma ejus cognosci potest. Scilicet Tertullianus et Epiphanius, ut dogmatica Marcionis commenta refutarent, ipsum quo utebatur Euangelium data opera perlustrarunt, quaeque in eo placitis ejus adversa occurrere videbantur, singulari quadam cura notaverunt. Haud raro etiam, quae a Marcione in textu omissa, quae adjecta aut adulterata ab eo essent, expressis verbis indicarunt. Quo factum est, ut, collatis eorum testimoniis, quam plurimis locis, magna cum veritatis specie, nobis definire liceat, quomodo a Marcione lectum sit. Quodsi autem agimus, ut ante nos fuse ab aliis actum est (1), primo quidem loco nobis pateat necesse est, Euangelium Ponticum plura cum Lucae

(1) Imprimis ab Hahnio l. l. p. 132-222, cujus vestigia mox persecutus, Thilo in Codice, quem curavit, Apocrypho Euangelium Marcionis describere conatus est p. 403 sqq.

narratione communia habuisse, quam ut de diversa origine cogitemus. Quae in isto enim inveniebantur, ad verbum fere etiam apud Lucam legimus scripta, eodemque ordine enarrata. Hic illic tantum in differentiam quandam verborum aut sententiarum incidimus, quae quidem testimonio nobis est, alterutrum textum corruptum fuisse, nullam vero opinioni ansam praebet, Euangelia haecce etiam quod ad originem inter se discrepasse. Quod autem in hac re praecipuum est, ratio ipsa, qua inter se differunt, argumentum esse videtur malignitatis Marcionis. Infitias sane iri non potest, eum in textum suum multa non recepisse, quae in Euangelica narratione qualicunque tandem vix desiderari potuisse videntur. Huc pertinet imprimis, quod apud omnes omnino Euangelistas de Joanne Baptista Messiae prodromo ac praecone habetur (Luc. III). Lacunam hancce Marcioniticam respexit Tertullianus, quum iis, quae s. 33 de Baptista habentur considerandis occupatus, quaerit: » unde autem et Joannes venit in medium? Subito Christus, subito et Joannes. Sic sunt omnia apud Marcionem, rell." (adv. Marc. IV. 11.) — Pertinet etiam, quam Marcion ignorat, de Jesu triumphantis instar Hierosolyma intrante narratio (Luc. XIX. 29 sqq.) Pertinent alia plura, de quibus, etsi desiderari potuerint, hoc tamen constat, ea ex pervetusta traditione profluxisse (1) Mirum profecto admodum, quod nihil horum Marcion habuerit, nisi cum antiquis

---

(1) Cf. Wettius, *Einl.* p. 112. — Guerike, *Einl.* p. 206.

statuamus, parum caute eum omnia tamquam spuria ejecisse, quae ipsi non placerent. Neque, si ad talem opinionem confugiendum esse non censemus, minus mirandum est, quod tam abrupto modo Euangelium ejus incipiebat. Locupletissimis scilicet testimoniis constat, eum, missa tota nativitatis et infantiae Jesu historia (Luc. I et II), exordium fecisse ab iis, quae Luc. III. s. 1 initio leguntur, exinde vero, praetermissis, quae de Joannis Baptistae praedicatione, nec non de Jesu baptismate ejusque tentatione in deserto Luc. III. vs. 2 sqq. et Luc. IV narrantur, statim in Luc. IV. 31 transiluisse, ut textus ejus hoc modo se haberet: *Ἐν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος ὁ θεὸς* (sic enim legi voluit pro: *ὁ Ἰησοῦς*, quod Luc. IV: 31 subintelligendum est) *κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ, πόλιν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦν διδάσκων ἐν τοῖς σάββασι* (1). At tali modo Euangelii quamcunque tandem enarrationem, dummodo ne ficta sed vera illa sit, incipere non potuisse, quis est qui non videat?

Cohaeret hoc autem cum iis, quae altero loco nobis animadvertenda sunt, quaeque magis etiam suspicionem movent, Marcionem reapse, ut veteres testati sunt, Lucae textum ad libidinem corrupisse. Si nempe placita ejus respicimus, facilis nobis erit conclusio, eum neque Lucae, neque ullo alio Euangelio, quod ecclesiae auctoritate invaluerat, uti potuisse, nisi id prius ad suos fines accommodasset. Longum foret hoc

(1) Hahn, l. l. p. 132. Thilo, *Codex Apocryphus*, p. 403.

singulis demonstrare; adumbratio enim systematis, quod dicitur, Marcionis, ad hunc locum non pertinet (1). Notum autem est, Ponticum, „languentem" quippe, ut Tertulliani verbis utar „circa mali quaestio„nem: unde malum?" (2), tres statuisse essentias primarias, sive tria *principia* (ἀρχὰς) quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi neque visu percipi possit, quem et *bonum Deum* appellat, a quo nihil sit eorum, quae in mundo sunt, conditum. Alterum vero *Deum* esse dicit aspectabilem ac *Creatorem*. Tertium denique *Diabolum* inter ambos illos, aspectabilem scilicet et eum qui aspici nequit, interjectum (3). Notum porro est, quomodo Marcion de utroque Foedere, cum Vetere tum Novo, senserit, illud ad Demiurgum suum, s. Deum creatorem referens, qui nonnisi *justus* esse poterat; hujus vero originem e supremi s. *boni* Dei consilio derivans, qui, humani generis tristis misertus sortis, ipse salutem ei allaturus de coelo descendit. Neque minus notum est, ex ejus sententia Deum illum bonum non revera hominem fuisse factum, sed specie tantum et forma hominis indutum inter Adami posteros per aliquod tempus deambulasse, eumque ob nullam aliam causam *Christi* nomen sibi vindicasse, nisi „ut" — sunt verba Ter-

(1) Cf. A. Neander in opere suo: *Genetische Entwicklung der vornehmsten gnostischen Systeme*. p. 276 sqq.

(2) Adv. Marc. I. 2.

(3) Sunt verba Epiphanii l. l. p. p. 304 e versione Petavii. Conf. quae de hac tota re eximie disputavit Hahnius l. l. p. 68 sqq.

tulliani adv. Marc. III. 15 — „per solemne apud „Judaeos et familiare nomen in eorum fidem irreperet." Notum est etiam odium quo Marcion Judaeismum prosequebatur, utpote Creatoris, omni bonitate atque clementia destituti opus, a cujus imperio homines liberare, hoc demum erat servare eos aeternaque felicitate donare. Nota denique sunt ejus placita, fidei Christianae magis minusve adversa, de resurrectione animarum, de vitae sanctitudine, de caelibatu, de jejunio, de baptismate saepius iterando, et si qua alia sunt, quibus haereseos culpam commeruisse dicendus sit (1). Quid vero? Eum talia et statuentem et tuentem ad cujuscunque Euangelii auctoritatem frustra provocaturum fuisse, nemo non videt. Quodsi autem patet, narrationem, qua utebatur, ita fuisse conformatam, ut placitis ejus haereticis satis apto responderet, jam eo verosimilius fit, omnium, in quas incurrimus, discrepantiarum originem ex erroribus ejus dogmaticis repetendam esse. Atque hoc ipsum est, quod ei ab antiquis crimini datum legimus. Diserte Tertullianus (adv. Marc. IV. 6): „Contraria quaeque sententiae suae „erasit, conspirantia cum creatore, quasi ab assertori„bus ejus intexta; competentia autem sententiae suae „reservavit." Cujus rei ut causam indicaret, alio loco (de praescr. adv. haer. C. 38): „Illic igitur" inquit „et „scripturarum et expositionum adulteratio deputanda „est, ubi diversitas invenitur doctrinae. Quibus fuit „propositum aliter *docendi*, eos necessitas coegit, *ali-*

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 67 sqq.

» *ten disponendi instrumenta doctrinae.* Alias enim » non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, » per quae docerent." Neque in diversem sententiam nobis abeundum esse censebimus, ubi ipsum quod dicitur Marcionis Euangelium accuratius paulo inspexerimus. Enimvero, quae ei desunt, haud minus quam ea quae, etsi partim habeat, aliter tamen apud Lucam leguntur, ejus fere generis sunt capita, quae cum theologicis et moralibus Pontici placitis vix aut ne vix quidem consistere potuerunt. Jam statim exemplo nobis sit Euangelii exordium. Marcionem nulla eorum, quae Luc. I—III habentur legisse, exceptis tantum perpaucis quibusdam, quae Luc. III. 1 occurrunt verbis; exinde vero derepente in narrationem transiluisse, quae secundum canonem nostrum Luc. IV. 31 incipit, vidimus (1). Causam autem hujus rei quaerentibus, quamnam magis in promtu nobis esse putabimus, quam hanc, quod ea, quae primis Lucae capitibus continentur, systemati ejus nimis adversarentur, quam ut, salva sententia sua, ea posset servare? Etenim quum iis omnibus, quae de intimo Vetus Testamentum inter et Novum nexu, nec non de humana Jesu natura statuebat Ecclesia, fidem denegandam esse doceret Marcion, aliter non fieri potuit, quin narrationibus de Joanne Baptista Messiae prodromo, itidemque narrationibus de Jesu ortu Bethlehemitico e stirpe Davidis, deque ejus circumcisione, pueritia, baptismate, tentatione, aliis, perquam offenderetur. Neque minus incongruum erat sententiae ejus

(1) Vide supra p. 24.

de Christi divinitate, quod Lucas imprimis auctor esset, Jesum non nisi sensim paulatimque ad munus suum accessisse, immo ad propria et praecipua ejus placita pertinebat, Deum bonum, quem ipsum, — non filium ejus — in terra versatum fuisse, humana forma indutum dictitabat, derepente de coelo descendisse, confestimque se ad Euangelium praedicandum contulisse. Quid igitur? Nonne verisimile est, Marcionem ea, quibus Lucae digestorum exordium constabat, data opera repudiasse, non quod in exemplari suo deessent, sed quod systemati suo contraria plura docere ipsi viderentur? (1) Accedit, quod unum e multis sit exemplum, in cujus consideratione hucusque versati sumus. Quid, quod in ipso Euangelii Marcionis limine (Luc. IV. 31), lectio quam supra commemoravimus: *ὁ θεὸς κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ κ. τ. λ.* manum adulterantem statim prodit? Quid, quod jam sequente vs. 34 vox *Ναζαρηνέ* in illo non habetur? (2) quod VII. 29-35 ubi Jesus se cum Baptista comparasse et populum suum, utrumque respuentem, culpasse dicitur (3); VIII. 19 verba: *ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ* (4); IX. 31, quae de Mose et Elia cum Domino colloquentibus leguntur: *οἱ ὀφθέντες – ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ*

---

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 87, 132. Olshausen, l. l. p. 194.

(2) Hahn, l. l. p. 134. — Idem epitheton (ὁ Ναζωραῖος) etiam XVIII. 37., defuisse innuere videntur Tertull. adv. Marc. IV. 36. et Epiph. l. l. p. 340 Schol. 51.

(3) Hahn, l. l. p. 147.

(4) Hahn, l. l. p. 148 sq.

ἣν ἤμελλεν πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ (1); X. 21 adjecta: καὶ τῆς γῆς, quae in Creatorem quidem, non vero in Deum bonum quadrare videbantur (2); ibid. vs. 25 vox αἰώνιον post ζωὴν (3); XI. 30—32, ubi sermo est περὶ Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου nec non περὶ βασιλίσσης νότου καὶ Σαλομῶνος (4); ibid. vs. 42 verba, quibus Jesus ad praecepta legis observanda impellit: ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι· (5); ibid. vss. 49—51, ubi ad Deum bonum referri videtur Prophetarum V. T. missio, idemque tamquam iratus ob horum persecutionem proponitur (6); XII. 6, 7, ubi Deus bonus, quem nonnisi *animas* humanas servaturum de coelo venisse Marcion statuebat, etiam στρουθία et τρίχας τῆς κεφαλῆς curare dicitur (7); XIII. 1—5 et 6—9, quo utroque loco Jesus infidelibus interitum minatur, plane ac si Dei justi s. creatoris, non vero Dei boni esset legatus (8); ibid. vss. 31—33 (9), ubi Servator innuit se, utpote prophetam, non extra Hie-

(1) Attamen de his non satis constat. vid. Hahn, l. l. p. 154.

(2) Hahn, l. l. p. 158.

(3) » In haeretico (sc. Euangelio) *vita* solummodo posita est sine *aeternae* mentione, ut doctor de ea vita videatur consuluisse, quae in lege promittitur a creatore, *longaeva.*" Tertull. adv. Marc. l. IV. c. 25.

(4) Epiphan. l. l. p. 331 Schol. 25.

(5) Hahn, l. l. p. 165.

(6) Hahn, l. l. p. 165 sq.

(7) Hahn, l. l. p. 167. — Idem de XXI. 18 valet. Cf. Hahn, p. 200.

(8) Hahn, l. l. p. 175.

(9) Etiam vss. praecedentes 29 & 30 defuisse testatur Epiph. l. l. Schol. 41.

rosolyma occisum iri; et vss. 34, 35, ubi eum tristem ejusdem urbis futuram sortem praenuntiantem audimus (1); XIV. 7—11 qui locus nuptiarum quandam commendationem continere videbatur (2); XV. 11—32 qui vss. fictam de filio deperdito narrationem, Marcioni pluribus de causis ingratam, continent (3); XVIII. 31—34, ubi Jesus discipulis suis annuntiat, tempus instare, quo omnia, quae prophetae de ipso praedixissent, implerentur (4); XIX. 10 verba, ad Zacchaeum spectantia: *καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν·* (5); ibid. vss. 29—46, ubi Dominus narratur triumphantis instar Hierosolyma intrasse, aliaque plura habentur, quae Marcionis de V. T. sententiae adversa sunt (6); XX. 9—18 parabola de vinitoribus perfidis (7); ibid. vss. 37, 38, ubi Jesus, mortuorum resurrectionem probaturus, testem invocat Mosem, *ὡς λέγει κύριον τὸν θεὸν Ἀβραὰμ καὶ θεὸν Ἰσαὰκ καὶ θεὸν Ἰακώβ·* (8); XXI. 21, ubi *ἡμέραι ἐκδικήσεως* (quam in Deum bonum cadere non posse dicebat Mar-

(1) Hahn, l. l. p. 178.

(2) Hunc locum in Euang. Marcionis non exstitisse, non tam sententia, quam conjectura est Hahnii, l. l. p. 179 sq. — Idem de vs. 15 valet, quem iccirco praeterire maluimus.

(3) Hac de re uberius agendi infra nobis locus erit. Rationes supra memoratas cognosci jam nunc licet ex Hahnio, l. l. p. 182 imprimis vero ex iis, quae Olshausenius disputavit l. l. p. 207 sqq.

(4) *ὅλα ταῦτα παρέκοψε·* Epiph. l. l. p. 340 Schol. 52.

(5) Hahn, l. l. p. 194.

(6) Hahn, l. l. p. 195.

(7) Hahn, l. l. p. 196.

(8) Hahn, l. l. p. 199.

cion) a Domino annuntiantur, cautaque additur: *τοῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα·* (1); ibid. vs. 27 verba *καὶ δόξης* (2); XXII. 3., mentio Satanae Judam corripientis, quam ideo repudiasse Marcionem oportuit, quia secundum eum non *salvamur*, creatori infestus, sed ipse *creator* eum suis servis Christum *alienum* (Dei boni scil.) in crucem egit (3); ibid. vs. 16 verba Salvatoris: *λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ φάγω αὐτὸ* (agnum paschalem scil.) *ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ* (4); ibid. vs. 30, qui Marcioni sensum terrenum et chiliasmum sapere videbatur (5); ibid. vss. 35—38., quo loco non tantum verba Jesu: *ὅτι τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοί*, sed magis etiam ejusdem de gladiis emendis mandatum Pontico odiosum esse debuit (6); ibid. vss. 42—44, ubi de *ἀγωνίᾳ* Salvatoris sermo fit modo, cum Marcionis placitis de Jesu corpore imaginario omnino non conciliando (7); ibid. vss. 49—51, quibus Petrus gladium strinxisse et servum pontificis vulnerasse narratur (8);

---

(1) Hahn, l. l. p. 201.

(2) Hahn, l. l. — Idem fere et ob easdem causas de postremis vs. 36 verbis statuendum esse auctor nobis est Hahn, l. l. p. 203.

(3) Hahn, l. l. p. 203—206.

(4) Quia nempe autumabat Marcion, Jesum non revera agnum paschalem comedisse et ἵνα (sunt verba Epiph. l. l. p. 345 Schol. 63) *δῆθεν μὴ ποιήσῃ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ βρωτὰ ἢ ποτά.* Cf. Hahn, l. l. p. 207.

(5) Hahn, l. l. p. 208.

(6) et (7) Hahn, l. l. p. 209.

(8) Δοκῶν (sunt verba Epiph. l. l. p. 346 Schol. 67 in Refut.) *εἰς τιμὴν Πέτρου ὁ ἀπατεὼν κρύπτειν τὸ ἐν ἀληθείᾳ γινόμενον τῆς δοξολογίας τοῦ Σωτῆρος, τὸ ῥητὸν τιμῶν ἀπέκρυψεν·* Probabiliorem vero hujus rei causam reddit Hahn, l. l. p. 210.

XXIII. 34 verba: διαμεριζόμενοι δὲ τα ἱμάτια αὐτοῦ ἔβαλον κλήρους· quippe quae — ut Tertullianus fert — Marcioni propterea displicebant, quod Psalmi prophetiam respicerent (1); ibid. vs. 43 verba: σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ, quae Paradisi exspectatio ad Judaistarum errores pertinere Pontico videbatur (2); ibid. 47—49, ubi non tantum γνωστοὶ Jesu commemorantur (quos secundum Marcionem non habuit), sed verba etiam citantur Centurionis: ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν· (3); XXIV. 25 verba, quibus Jesu ad prophetarum testimonium provocat (4); ibid. a vs. 44 usque ad finem libri, multa, quae Marcionis systemati christologico adversa erant (5), — quid igitur, quod haec omnia in Euangelio, quod Ponticum appellatur, desiderabantur? Nonne admodum probabile exinde fit, Marcionem sibimetipsi Euangelium, ad sua placita adaptatum, e Lucae digestis conformasse? Necdum de omnibus, quae huc pertinent, locuti sumus. Enimvero in plures quoque incidimus lectionis diversitates, quas vix alio quam hoc modo explicare possumus, ut statuamus, Marcionem textum hic illic etiam mutavisse, ut suo usui magis inserviret. Quod cum de lectione ὁ θεὸς Luc. IV. 31, tum de permultis aliis valet.

---

(1) Adv. Marc. IV. 42.
(2) Hahn, l. l. p. 213.
(3) Hahn, l. l. p. 214.
(4) Epiph. l. l. p. 348 sq. Schol. 77.
(5) Hahnius ex hoc ultimo Lucae capite etiam alios plures locos citavit, de quibus tamen non satis constat, utrum Marcion eos habuerit nec ne. l. l. p. 218 sqq.

Ut taceamus jam verborum conversionem, quae X. 22 obtinet, quamque e varietate lectionum sane explicari licet (1), certe haud fortuito accidit, ut ibid. vs. 24 loco: ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδαν, καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν — apud Marcionem scriptum legamus: ὅτι προφῆται οὐκ εἶδον ἃ ὑμεῖς βλέπετε (2). Data opera etiam verba Conservatoris, quae habentur Luc. XIII. 28: ὅταν ὄψησθε Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας — in ὅτε πάντας τοὺς δικαίους ἴδητε ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ κ. τ. λ. mutata esse, non magnopere dubitari posse videtur (3). Idem obtinet Luc. XIV. 26, ubi pro μισεῖ, quod in nostris codicibus invenitur, Marcion legi vult: καταλείπει (4); XVI. 17 (5), ubi effatum Jesu: εὐκοπώτερον δὲ ἐστιν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν· mutatum legimus in: εὐκοπώτερον δὲ ἐστιν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ὡς καὶ ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, ἢ τῶν λόγων τοῦ Κυρίου μίαν κεραίαν πεσεῖν (6); XVII. 11—19 cui lo-

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 159 sq. — Thilo, l. l. 433. Idem valet de XI. 42, ubi Marcionem, pro nostro κρίσιν, κλῆσιν legisse Epiphanius testis est. Cf. Hahn, l. l. p. 164 sq.

(2) Hahn, l. l. p. 160 sq., ubi etiam e systematis Marcionitici indole ratio istiusmodi mutationis ostenditur valde probabilis.

(3) Hahn, l. l. p. 177.

(4) Teste Epiphanio. l. l. Refut. ad Schol. 70, p. 347. Cf. Hahn, l. l. p. 181.

(5) De locis XV. 10, XVI. 12, quae nonnisi dubitanter huc referri possunt. Cf. Hahn, l. l. p. 181 & 185.

(6) Hahn, l. l. p. 185 sq.

co intempestive quidem, sed non incommode, a Marcione inseruntur, quae legimus IV. 27 (1); XX. 35, ubi pro: *οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν* — in Euangelio Pontico habebatur: *οὓς δὲ κατηξίωσεν ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος ἐκείνου, τυχεῖν τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν* (2); XXI. 32 quo loco verba: *οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενέα αὕτη ἕως ἂν πάντα γένηται*, ita leguntur apud Marcionem: *οὐ μὴ παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ ἕως κ. τ. λ.* (3); XXIV. 25, ubi pro iis, quae Jesus dixisse fertur: *οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται* — Marcion scribi maluit: *οἷς ἐλάλησεν ὑμῖν* (ipse scil. Christus) (4); denique ibid. vs. 37, ubi *πνεῦμα*, quae vox omnium fere codicum auctoritate commendatur, in: *Φάντασμα* mutatam videmus (5).

Hisce omnibus haud parvi ponderis profecto argumentum ad cetera, quae contra Marcionem afferri solent, adjicitur. Scimus equidem, nonnullis ita visum fuisse, ut minoris pretii cum hoc, tum illud, quod e lacunis in Euangelio Pontico conspicuis petitur, argumentum propterea esse habendum statuerent, quod Marcion neque omnia delevit, neque mutavit, quae disciplinae ipsius contraria erant. Putant nimirum, nullam afferri posse causam, cur haereticus iste aliquot

(1) Auctores nobis sunt Tertullianus et Epiphanius. — Cf. Hahn, l. l. p. 189 sq.
(2) Thilo, l. l. p. 467. Hahn, l. l. p. 198.
(3) Hahn, l. l. p. 202.
(4) Hahn, l. l. p. 217.
(5) Hahn, l. l. p. 219.

Lucae partes adulteraverit, quum tamen integrum Lucae Euangelium ad suam disciplinam adaptare aut non potuerit, aut noluerit. At vero non est, quod de responso laboremus. Jam ipse Tertullianus: » Marcion" inquit (adv. Marc. IV. 43) » quaedam contraria sibi, illa » credo industria eradere de euangelio suo noluit, ut » ex his quae eradere potuit, nec erasit, illa, quae » erasit, aut negetur erasisse aut merito erasisse dica- » tur. Nec parcit nisi eis, quae non minus *aliter in-* » *terpretando*, quam *delendo* subvertit." Revera illi, quos in textu suo remanere sivit locos, etsi ecclesiae auctoritati favere viderentur, ejus fere sunt generis, ut interpretando facile iis sensus aliquis subjici posset, quo universo ejus systemati aptissime consonarent (1). Quodsi autem quaerat quis, quidni igitur Marcion ubique potius interpretando quam adulterando haereticos suos fines persequi conatus sit? — paratum habemus responsum. Respondemus scilicet, subtilissima subinde interpretamenta ei ad sensum S. Scripturae in suos usus distorquendum haud sufficisse, ita ut hic illic quasi necessitate quadam committere coactus esset, quo ceteroquin lubens abstinuisset, coactus nempe ad eas evangelicae historiae partes delendas, quae nullo modo cum dogmatico ipsius systemate in concordiam se redigi paterentur. Cujus generis exempla nobis sunt, cum singulatim universa, quae prioribus Lucae capitibus continentur, tum alia multa, quae aut ipsa Marcionis

---

(1) Hahn, l. l. p. 261 sqq. Olshausen. l. l. p. 194 sqq.

placitis adversantur, aut cum ceteris arctiori nexu conjuncta sunt, quam ut, his rejectis, illis parci potuisset (1). Quodsi tandem quis miretur, in Euangelio Pontico plura desiderari, quorum eradendorum ratio vix aut ne vix quidem reddi posse videtur, is quaeso teneat, singulas hujus rei causas, etsi subinde magis abstrusae fortasse sint, iccirco tamen non omnino defuisse. Primo sane intuitu, cur haereticus liber prooëmio, quod Luc. I. 1—4 habetur, caruerit, difficile intelligitur. At mirari desinemus, ubi Marcionis de ipso *Christo* Euangelii auctore sententiam accuratius cognoverimus, aliaque huc pertinentia plura rite perpenderimus. Parabolam quoque de filio deperdito (Luc. XV. 11—32) a Marcione non lectam fuisse, ut notum est, ita fecit ut multi quaererent, quaenam tandem hujus tollendae causa esse potuerit? Simul vero ac rem propius intuemur, patet nobis, plus una ratione, iisque gravissimis, ad eam rejiciendam permotum fuisse haereticum. Neque aliud nostrum erit judicium de ceteris, quae in Euangelio Pontico praetermissa videmus,

(1) Olshausen. l. l. p. 204 sqq. — de Wette, l. l. p. 112. Adde, quae scite monet Neudecker (*Lehrb. der hist. krit. Einl. in das N. T.* p. 70): » Ohnehin war Marcion auch als ein entschiedener Gegner der allegorischen Interpretation gezwungen, » in dem Evangelium, welches er annahm, Veränderungen vorzunehmen." Scil. hoc Marcionem inter ceterosque fere Gnosticos, Valentinum praesertim, intererat, quod hi allegorica S. Scripturae interpretatione utebantur, qua ille abstinebat. Quo referas Tertulliani verba supra laudata: » Marcion ad materiam suam caedem scripturarum confecit; Valentinus autem pepercit, quoniam » non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit." De praescript. adv. haer. C. 38.

quod hic quidem persequi et pluribus illustrari non possumus; monemus tamen, ut ne quis casui tribuat, quod studio et consilio a Marcione factum est (1).

§. III.

Arbitraria ratio, qua ceteris S. Codicis libris usus fuisse perhibetur Marcion.

Iis, quae hucusque dicta sunt, eo major persuadendi vis erit adjudicanda, quo minus incerti esse poterimus, morem Marcionis solitum ita tulisse, ut, quae dogmatico adspectu invisa ipsi essent, ea aut in canonem suum recipere omnino recusaret, aut saltem ad libidinem adulteraret. Ac primum quidem eum singulis Veteris Testamenti libris, tamquam nullam fidem merentibus, omnem fidem denegasse, nemini non notum est. Quo pertinet memorabilis in Dialogo de recta fide, supra laudato (2), locus; ubi Marcus, unus de Marcionitarum numero, fictis verbis dicens inducitur:

---

(1) Hahn, l. l. p. 132, 181 sq. et passim. Imprimis vero Olshausen. l. l. p. 205 sqq.

(2) Hujus libri pretium si justo modo aestimare cupias, faciendum tibi erit cum Hahnio, qui in libro suo, cui titulus est: *Bardesanes gnosticus Syrorum primus Hymnologus*, p. 8: » quodsi" inquit » formam hujus dialogi, qui neutiquam Origeni, cum Adamantio haud consentienti, tribui potest, spectaveris, malus erit dicendus; sin materiam, bonum dices esse ad γνῶσιν Marcionis et Marcionitarum, ad argumenta orthodoxorum, quibus contra Gnosticos uterentur, cognoscenda." Cf. quae idem auctor, in libro suo saepius laudato de Marcionis Euang., scripsit p. 27 sq.

ταῖς γὰρ Ἰουδαϊκαῖς φωναῖς (Vet. Test. scil. libris) *οὐ πείθομαι, καὶ γὰρ ἄλλου εἰσὶ Θεοῦ*, et paulo post: *οὐ γὰρ ὑπακούω οὔτε Νόμῳ οὔτε Προφήταις* (1). Ex hisce sane dictis elucet, quid de sacris Judaeorum libris senserit Marcion, cujus persona hic agitur, et quam ob causam respuendos eos esse docuerit, quia scilicet ipsius de Deo bono a Creatore diverso placitis adversarentur. Quod vero etiam magis huc facit, sententia ejus est de Novi Foederis Canone, quam sententiam, ab omni veritatis specie remotissimam illam, ex eadem confabulatione Pseudorigeniana egregie cognosci licet. Postquam nimirum Marcus se *Ἰουδαϊκαῖς φωναῖς* fidem non habere dixit, interrogando pergit Adamantius: *Ἀλλὰ τῷ Εὐαγγελίῳ ἢ οὐ* scil. *πείθῃ*; Respondet Marcus: *πείθομαι*, cogitatque ita unum Lucae Euangelium, quod ad Christum ipsum auctorem a Marcione relatum fuisse supra monuimus (2). Deinde (p. 57) idem doctrinae Marcioniticae fautor: *δεχόμεθα*, inquit, *τὸ Εὐαγγέλιον καὶ τὸν Ἀπόστολον*. Quaerit Adamantius: *ποῖον Ἀπόστολον; πολλοὺς γὰρ ἔσχεν Ἀποστόλους ὁ Χριστός*. Inquit Marcus: *Παῦλον*. — Tandem huc spectant verba, quae ibid. p. 58 legimus, ubi

---

(1) p. 54. Ed. Wetst. cf. p. 57, ubi Marcus: „*Ἡμεῖς*" inquit „*Προφήτας καὶ Νόμον οὐ δεχόμεθα, οὐδὲ γάρ εἰσι τοῦ ἡμετέρου Θεοῦ*."

(2) Marcionem cetera Euangelia cognovisse quidem sed rejecisse, diserte etiam testatur Tertull. hisce verbis (adv. Marc. IV. 5): » Itaque et de his flagitandus Marcion, quod omissis eis (ceteris Euangeliis) Lucae potius institerit, quasi non et haec a primordio apud ecclesias fuerint, quemadmodum et Lucae." Cf. Hahn, l. l. pag. 23.

Eutropius, disputationis judex, ad Marcum se rogando convertens: *Δέχεσθε*, ait, *Μάρκε τὰς τῶν Ἀποστόλων πράξεις, καὶ μαθητῶν λεγομένων, ὡς ἀληθῆ ἢ οὔ;* cui quaestioni a Marco responsum fuisse hoc modo legimus: *Ἡμεῖς πλέον τοῦ Εὐαγγελίου καὶ τοῦ Ἀποστόλου οὐ δεχόμεθα.* Patet igitur, quod etiam aliunde satis superque constat (1), Marcionem, praeter Lucae Euangelium et Pauli epistolas, librorum, qui apostolica auctoritate in primaeva ecclesia gaudebant, nullum in Canonem suum recepisse. Observandum praeterea, eum, quod diserte monet **Epiphanius** (l. l. p. 310 sq.), et testatur etiam **Tertullianus** (adv. Marc. V. 1. 21), non universas Pauli epistolas, sed decem tantum genuinas et fide dignas habuisse, missis scil. iis, quas ad Timotheum, Titum et ad Hebraeos scripsisse fertur Apostolus (2). Quod vero hac in re praecipuum est, neque a paulinis hisce epistolis mutilandis, variisque modis adulterandis haereticus noster abstinuit, cujus rei tot tamque gravia documenta ad nos perlata

---

(1) Luculentissimum imprimis est **Epiphanii** testimonium (l. l. 42. § 9): *μόνῳ δὲ κέχρηται* (Marcion) *τούτῳ τῷ χαρακτῆρι τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ, ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὰς παρ᾽ αὐτῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου δέκα αἷς μόναις κέχρηται — ταύταις δὲ ταῖς δυσὶ βίβλοις κέχρηται κ. τ. λ.* **Tertullianus** etiam plus una vice monuit, Marcionem unum tantum Lucae Euangelium, neque praeter hoc alia nisi, quae Paulum haberent auctorem, agnovisse scripta. Hic illic immo singulos quos Ponticus rejecit libros indicavit. De Matthaei, Marci et Joannis Euangeliis nec non de Apocalypsi eum hoc affirmantem audimus l. IV. 5. De Actis Apostolorum autem ibid. V. 2. de Praescript. adv. Haer. C. 52. Cff. etiam **Hieronymus** *Opp.* T. IX. p. 242.

(2) Cf. etiam quae docet **Epiphanius**, l. l. p. 321.

sunt, ut ne in dubium quidem posse vocari videatur. *'Αι μὲν γὰρ* (sunt verba Epiphanii l. l. § 10) *αὐτῶν* (*λέξεων* scil.) *παρηλλαγμένως ὑπ' αὐτοῦ ἐῤῥαδιουργήθησαν, καὶ ὡς οὐκ ἔιχε τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ τὸ αντίγραφον, οὔτε ἡ τοῦ ἀποστολίκοῦ χαρακτῆρος ἔμφασις·* Falsi itidem Marcionem accusat Tertullianus, ubi de epistola Pauli ad Philemonem, » *soli*" ait » *huic epistolae* brevitas » sua profuit, ut *falsarias manus* Marcionis evade» ret" (adv. Marc. V. 21) (1.) Neuterque horum virorum satis habuit istiusmodi judicium generatim pronuntiasse. Sed quod in Euangelio Marcionis, idem quoque in ejus Apostolico perlustrando fecerunt, ingenti quadam exemplorum copia munientes, quam erga Ponticum protulerunt, accusationem.

Eximium hujus generis documentum jam statim nobis praebet epistola, quae in Marcionis Apostolico primum, nec non, ob antijudaisticam ipsius indolem, primarium locum tenuit. Nimirum Gal. III. 6—9 Apostolus Paulus fidem Abrahami tamquam justificantem, Deoque quem ipse iis praedicaverat gratam, lectoribus suis proposuit. Quid autem Marcion? Talem Abrahami mentionem systemati suo contrariam esse bene perspectum habens, vss. quibus illa fit de codice suo erasit (2). Neque minus temere in aliis epistolae par-

---

(1) Cf. quoque Irenaeus, l. l. lib. I. c. 29.

(2) Tertull. adv. Marc V. 3. — Addatur quod scriptum legimus ab Hieronymo (*Commentar. ad Gal.* l. l.): » *Sicut Abra*» *ham credidit* — ab hoc loco usque ad eum, ubi scribitur: *qui*

tibus versatus est. Cap. III. 15—IV. 2 totum quantum ab eo praetermissum videmus, exceptis tantum, quae II. vs. 26 habentur (1). IV. 4 verba: *γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον* in textum suum non recepit. Denique, teste Tertulliano (2), Gal. IV. 22—31 hoc fere modo legisse videtur: *γέγραπται γὰρ* (vs. 22) — *εἰς δουλείαν γεννῶσα* (vs. 24); tunc, sublatis verbis proxime sequentibus: *ἥτις ἐστὶν — τῶν τέκνων αὐτῆς* (vs. 25), ita processisse: *ἡ δὲ ἄνω* (subintelligas non quod apud nostrum legitur *Ἱερουσαλὴμ* sed: *διαθήκη*) *ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν·* dehinc omissis vss. 27—30 in vs. 31 transiluisse. » Sed ut furibus" — sic Tertullianus inquit — » solet aliquid excidere de praeda in indicium, ita » credo et Marcionem novissimam Abrahae mentionem » dereliquisse, *nullam magis auferendam, etsi ex » parte convertit.*"

1 Cor. I. 18 Marcion, pro simplici: *δύναμις*, *δύναμις καὶ σοφία* legi voluit. XI. 7 rejecit verba: *γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστιν·* — XV. 45 loco: *Ἀδὰμ*, substituit: *ὁ ἔσχατος Κύριος*. — vs. 47 missis verbis: *ἄνθρώ-*

» *ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*, Marcion de » Apostolo suo erasit. Sed quid profuit haec tulisse, cum caetera, » quae reliquit, insaniae ejus adversa sint?" Cf. Hahn, l. l. p. 51 sq.

(1) Hahn, l. l. p. 53 sqq. Huc pertinent verba Tertulliani (l. l. V. 4): » Erubescat spongia Marcionis, nisi quod ex abun- » danti retracto, quae *abstulit*, quum validius sit illum ex his re- » vinci, quae *servavit*."

(2) l. l. V. 4. Cf. Hahn, l. l. p. 56 sq.

πος ὁ, scripsit tantum: *ὁ δεύτερος Κύριος ἐξ οὐρανου* (1).

2 Cor. IV. 13 expunxit verba: *κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα* (2).

De epistola Pauli ad Romanos acturus, Tertullianus: » Quantas autem" inquit » foveas in ista vel » maxime epistola Marcion fecerit, auferendo quae voluit, de nostri instrumenti veritate parebit" (3). Quod ad singula manus adulterantis in hoc libro vestigia attinet, — I. 17 in Marcionis codice deërant verba: *Καθὼς γέγραπται· ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται·* (4) — Imprimis vero a Cap. inde VIII usque ad finem Cap. XI saeviisse videtur Ponticus. Postquam enim Tertullianus (l. l. V. 14) Rom. VIII. 11 citaverat, adjicit: » Salio et hic amplissimum abruptum intercisae » scripturae, sed apprehendo testimonium perhibentem » Apostolum Israëli *quod zelum Dei habeant sui uti-* » *que, non tamen per scientiam*," quae postrema verba Rom. X. 2 habentur; ita ut, nisi omnia, maxima tamen eorum quae Capp. VIII et IX occurrunt pars, tum ob Judaeorum in iis factam mentionem nimis honorificam, tum ob alias causas, a Marcione rejecta esse videantur. Deinde laudato Rom. X. 4: *τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι* — Tertullianus sic pergit: » Atquin

(1) De hisce textus immutationibus cf. Hahn, l. l. p. 57 sq.
(2) Quod testatur Epiphanius l. l. p 367.
(3) l. l. V. 13.
(4) Hahn, l. l. p. 60.

» exclamat : » o profundum divitiarum et sapientiae Dei » » et investigabiles viae ejus !"" (quae exclamatio Pauli est Rom. XI. 32), unde effici licet, eum in Codice Marcionitico nihil eorum, quae a Cap. X. 5 usque ad XI. 32 leguntur, reperiisse, quod manifestius etiam probatur iis, quae statim adjicit : » Unde irae (illa ?) » eruptio ? Ex recordatione scilicet scripturarum, quas » retro revolverat, ex contemplatione sacramentorum » (μυστηρίων vs. 25) quae supra disseruerat in fidem » Christi ex lege venientem. *Haec si Marcion de in-* » *dustria erasit*, quid Apostolus ejus exclamat, nul- » las intuens divitias Dei tam pauperis et egeni, » quam qui nihil condidit, nihil praedicavit, nihil de- » nique habuit, ut qui in aliena descendit ?" (1) — Tandem quoque quae Rom. XI. 36 leguntur verba : ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα, placitis suis de Deo bono nullius conditore adversa, Marcion erasisse secundum Tertullianum censendus est (2).

2 Thess. I. 8 omissam a Marcione videmus πυρός et φλογὸς mentionem, ut hisce verbis nos docet Tertullianus (l. l. V. 16) : » sed *flammam* et *ignem* » delendo haereticus exstinxit, ne scilicet nostratem » Deum faceret" (3).

---

(1) l. l. V. 14. — Cf. Hahn, l. l. p. 61. — Dignum certe est quod animadvertatur, etiam Epiphanium, Tertulliano ex omni parte etsi tacite consentientem, totius hujus pericopes nullum locum citasse excepto uno : X. 4.

(2) l. l. — Cf. Hahn, l. l. p. 62.

(3) Cf. Hahn, l. l. p. 62 sq. — Etiam prima ad Thessalonicen-

Quod epistolam ad Ephesios attinet, plura et in ea mutavisse Ponticum, communibus Tertullianus et Epiphanii suffragiis evincitur. Eum, quod ad hujus operis titulum, ab ecclesiae auctoritate recessisse, notum est. Sic enim Tertullianus: » Ecclesiae quidem" inquit » veritate epistolam istam *ad Ephesios* habemus » emissam, non *ad Laödicenos*; sed Marcion ei titu-» lum aliquando interpolare gestiit, quasi et in illo di-» ligentissimus explorator" (1).

Porro Eph. II. 15 voculam *αὐτοῦ* erasit Marcion, » Sed Marcion abstulit *sua*, ut inimicitiae daret car-» nem, quasi carnali vitio, non Christo aemulae" (2). II. 20 omisit verba *καὶ προφητῶν*. » Abstulit hae-» reticus: *et prophetarum*, oblitus Deum posuisse in » ecclesia sicut Apostolos, ita et prophetas. Timuit sci-» licet, ne et super *veterum* Prophetarum fundamenta » aedificatio nostra constaret in Christo" (3).

Ad Eph. III. 9: *ἐν τῷ θεῷ, τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ* adnotavit Tertullianus: » Rapuit haereticus *in* praepositionem; et ita » legi fecit: occulti ab aevis Deo, qui omnia condidit" unde simul patet, eum verba postrema *διὰ Ἰ" Χ"* apud Marcionem non invenisse (4).

---

ses criseos Marcioniticae specimen nobis exhibet. Citatis nempe, quae illic leguntur II. 15, Tertullianus addit: » licet *suos* adjectis sit haeretica." (l. l. V. 15.) Animadvertendum tamen, plures codices lectionem habere: *τοὺς ἰδίους προφήτας*.

(1) l. l. V. 16 init.

(2) Tertull. l. l. V. 17.

(3) Tertull. l. l. V. 17.

(4) l. l. V. 18. Cf. Hahn, l. l. p. 64.

V. 31 omisit verba: καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ (1).

Denique laudato, quod Eph. VI. 1, 2 occurrit, praecepto de parentum timore, Tertullianus adjicit: » Nam etsi Marcion abstulit: *hoc est enim primum* » *in promissione praeceptum*, — lex loquitur: honora » patrem et matrem" (2).

Ultimo loco venit epistola ad Colossenses, ex qua non ita multa quidem, sed aliqua tamen haud parvi momenti resecuisse fertur Marcion. Pertinet huc imprimis locus I. 15—17, quem totum quantum mutilavit, adimendo omnia, quae de Christo πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως, nec non de Deo bono, per filium suum simul et omnium rerum Creatore, disseruntur, reservando contra nihil nisi pauca, quae de Christo habentur vs. 15: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου· et vs. 17: καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, postremis insuper verbis sensum substituendo, quem nullo modo, si Apostoli mentem spectamus, habere potuerunt (3).

(1) Si nempe cum Hahnio (l. l.) faciendum sit, cui hoc e silentio Tertulliani jure sequi videtur. Epiphanius (l. l. p. 372 sq.) hoc tantum disertis verbis monet, Marcionem vocem γυναικὶ (sic enim exemplar ejus exhibebat, non quod nostri codices habent: πρὸς τὴν γυναῖκα) repudiasse.

2) l. l. V. 18.

(3) Cf. Hahn, l. l. p. 65. — Digna sunt verba Tertulliani, ubi hac de re disputat, quae accuratius cognoscantur. » Si non est" inquit » Christus *primogenitus conditionis*, ut sermo Creatoris, per quem omnia facta sunt et sine quo nihil factum est; si non in illo condita sunt universa in coelis et in terris, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive po-

» es, crede quod traditum est. Si nihil istorum es, » merito dixerim: morere! Nam et mortuus es, qui » non es Christianus, non credendo, quod creditum » Christianos facit. Et eo magis mortuus es, qui non » es Christianus. *Qui quum fuisses excidisti*, *rescin-* » *dendo quod retro* (i. e. olim) *credidisti* Sicut et » ipse confiteris in quadam epistola *et tui* » *non negant*, *et nostri probant.* Igitur *rescindens* » *quod credidisti jam non credens rescidisti*, *non* » *tamen, quia credere desisti, recte rescidisti.* Atqui » rescindendo quod credidisti, probas, ante quam re- » scinderes, aliter fuisse, quod credidisti, aliter illud » ita erat traditum. Porro quod traditum erat, id erat » verum," rellq. (1) Quodsi forte quis putet, ex hisce verbis nihil aliud satis certo effici posse, nisi quod Marcion fidem Catholicam olim amplexus sit, *minime* vero quod libri ipsi canonici, quibus ecclesia postea usa est, neque igitur etiam Lucae Euangelium, ei innotuerint, — is, quaeso, disertissima consulat Tertulliani verba, quae scripta leguntur adv. Marc. IV. 4: » Quod ergo pertinet ad *Euangelium* interim *Lucae*, » quatenus communio ejus inter nos et Marcionem de » veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod

(1) Cf. adv. Marc. I. 1, ubi in eundem finem ad ipsius Marcionis literas quasdam deperditas provocatur. » Non negabunt disci- » puli ejus" — sic enim legimus — » *primam illi fidem nobis-* » *cum fuisse*, *ipsius literis testibus*, ut hinc jam destinari possit » haereticus, qui, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elege- » rit, quod retro non erat."

» est secundum nos, *ut et ipse illi Marcion aliquan-* » *do crediderit*" (1).

Nec tantum se Euangelii quod secundum Lucam est auctoritatem olim agnovisse, sed etiam se illud purgasse et emendasse professus est. Scilicet in opere suo, quod: *Antitheses* inscriptum fuit, Euangelium hocce *arguit, ut interpolatum a protectoribus Judaismi ad concorporationem legis et prophetarum, qua etiam Christum inde configerent* (2). At quis non viro, cujus haec sunt verba, lubens consentiat dicenti: » utique non potuisset arguere, *nisi quod invenerat?* » Nemo post futura reprehendit, quae ignorat futura; » emendatio culpam non antecedit" (l. l.)? Immo vero, si Lucae, qua ad nos perlatum est forma, Euangelio non solum aliquando fidem habuerit Marcion, sed formam illam postea quoque magis minusve mutandam esse putaverit, — emendator potius an adulterator aestimandus sit, nil refert — hoc profecto constat, Euangelium istud, de quo agitur, jampridem exstitisse; constat itidem Marcionis Euangelium, — fueritne Lucae emendatio an mutilatio, non curo, — e libro fluxisse, cui, *utpote a protectoribus Judaismi interpolato*, fidem esse denegandam statuit (3).

(1) Cf. de hoc toto argumento: Olshausen. l. l. p. 360 sqq. Hahn, l. l. p. 236 sqq. — de Wette, l. l. p. 113.

(2) Sunt verba Tertulliani adv. Marc. IV. 4.

(3) Cf. Olshausen. l. l. p. 365. — Faciunt huc quoque, quae apud Tertull. legis verba l. l. IV. 4: » Itaque dum emen- » dat utrumque confirmat, et nostrum alterius (ulterius?), id emen- » dans, quod invenit, et id posterius, quod de nostri emendatione » constituens suum et novum fecit."

Observetur secundo loco, eo minus mirandum esse, si Marcion ingenio suo male critico indulserit quod, *tum de magistro, tum de discipulis ejus similia plane tradita inveniamus.* Jam Cerdonem viam ei monstravisse, sequitur ex iis, quae in appendice ad Tertulliani *de praescriptione haereticorum* opus anonymus aliquis auctor scripsit (c. 51): » Cerdon quidem so» lum euangelium Lucae *nec tamen totum* recipit" (1). Majoris autem momenti sunt, quae de Marcionitarum in S. Scriptura ad suos usus adaptanda consuetudine ab antiquis tradita sunt. Sic enim de iis Tertullianus (adv. Marc. IV. 5): » Nam et quotidie reformant illud » (scil. Lucae Euangelium), prout a nobis quotidie revin» cuntur." Disertius etiam in Dialogo Pseudorigeniano de recta fide (Sect. V. p. 147. Edit. Wetst.) Adamantius, qui Origenis partes agit: *ὁ γὰρ* inquit *σχεταῖος (σχέτλιος?) Μαρκίων ῥαδιουργήσας τὰ κατὰ τὸν ἀπόστολον, οὐ παντάπασιν ἀπήλειψε· καὶ οὗτοι* (disciduli ejus) *μέχρι τοῦ δεῦρο περιαιροῦσιν ὅσα ἂν μὴ συντρέχοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ.* Quod non tantum eorum adversariis ita visum esse, sed revera obtinuisse, permulta ipsis nobis exempla fidem faciunt. Enimvero cum aliunde, tum e Dialogo supra laudato, plures nobis innotuerunt S. Scripturae immutationes, in recentiorum quidem Marcionitarum canone obviae, quas tamen, si jam in ipsius Marcionis codice inventae fuissent, neque Tertullianus, neque Epi-

(1) Etsi parum fidei illi habendum sit. Cf. Hahn, l. l. p. 277 sqq. Ritschl. l. l. p. 16 sq.

phanius silentio praetermisissent. Ut unam tantum citem prae multis memorabilem, — in Euangelium suum receperunt Marcionitae locum: Matth. V. 17, sed perquam illum contortum et adulteratum, quod nobis e Dialoge de recta fide patere potest, ubi Marcus, Marcionitarum unus, (Sect. II. p. 62. Edit. Wetst.) de hoc loco sententiam dicturus ita loquitur: *τοῦτο οἱ Ἰουδαϊσταὶ ἔγραψαν, τό οὐκ ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι. οὐχ οὕτως δὲ εἶπεν ὁ Χριστός· λέγει γάρ· οὐκ ἦλθον πληρῶθαι τὸν νόμον, ἀλλὰ καταλῦσαι.* Temeritatis profecto ac levitatis in S. Scriptura adhibenda specimen, quam à nemine potius, quam ab ipso Marcione edoctos fuisse Marcionitas, haud injuria sane statuerimus (1).

Paucis tandem *de Marcionis vita ac moribus* monendum erit, quippe quae talem eum probare videntur, qui ab imputato ei crimine haud ita valde abhorreret.

Oriundus igitur Marcion fuit Ponto, urbe Sinope, quod hisce verbis testatur Epiphanius (l. l. p. 302): *τὸ γένος ποντικὸς ὑπῆρχεν, ἑλενοπόντου δὲ φημι, Σινώπης δὲ πόλεως, ὡς πολὺς περὶ αὐτοῦ ᾄδεται λόγος.* Patrem habuit Episcopum loci ejusdem, virum pietate insignem (2). Juvenili aetate navigandi artem eum cum didicisse, tum exercuisse, ex eo apparet, quod Euse-

(1) Cf. Hahn. de hoc argumento uberius disputantem l. l. p. 224 sqq. » So artete Marcions Willkühr bei seinen Schülern in die gesetzloseste Frechheit aus." Id. l. l. p. 229.

(2) Epiph. l. l.

bius (Hist. Eccl. lib. V. c. 13) ναύτην, Tertullianus pariter (adv. Marc. I. 18) *nauclerum*, eum appellaverunt. Mox autem consilio mutato hortatu, ut videtur patris, vitam monachiam est amplexus (1). At parum voto respondit eventus. Etenim χρόνου προϊόντος — sunt verba Epiphanii l. l. (2) — προεφθείρεται παρθένῳ τινὶ, καὶ ἐξαπατήσας τὴν παρθένον, ἀπὸ τῆς ἐλπίδος αὐτήν τε καὶ ἑαυτὸν κατέσπασε. Propter quod stuprum, quum, ab ipso patre a communione ecclesiae remotus, frustra veniam impetrare conatus esset, Romam profectus est, sperans fore ut illic in ecclesiam reciperetur. At voti non compos est factus, quidquid ad animos illecebrandos et sibi conciliandos tentasset (3). Tandem, postquam ducentis sestertiis pacem cum ecclesia emere sibi frustra conatus (4), in perpetuum discidium relegatus esset, irati animi impetum secutus: » ego" inquit » findam eccle» siam." Mox se ad Cerdonem, philosophum gnosticis erroribus deditum (5), contulit, hujusque discipulis se accenseri voluit (6); neque ita diu post, quum haereticam doctrinam ipse suam spargere coepisset, ingentem

---

(1) Epiph. l. l.

(2) Cf. etiam, quae Tertullianus de eadem re tradidit: de praescript. adv. Haer. C. 51. — Hahn, l. l. p. 173, veritatem hujus facti in dubium vocavit.

(3) Cf. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem adv. Pelagianos, Tom. II. p. 253.

(4) Tertull. de praescr. adv. Haer. C. 30.

(5) Tertull. de praescr. adv. Haer. C. 51. — Adv. Marc. IV. 17.

(6) Tertull. adv. Marc. I. 2. — Epiphanius l. l. — Philastrius de haeresibus. p. 11.

quendam discipulorum numerum ad suas partes traxit, quos, pollicitus iis philosophiam imprimis Stoicam se traditurum esse, vana ista specie facile decepit (1). Labentibus tamen annis conscientiae morsu vulneratus, ad poenitentiam redactus est; » sed, cum — ut ait Tertullianus, de Praescript. adv. Haer. C. 30 — » conditioni datae sibi occurrit, ita pacem recepturus, » si ceteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiae resti- » tueret, morte praeventus est."

Et haec quidem hactenus. Marcionis autem vitam et mores, prout ex antiquorum testimoniis nobis innotuerunt, haud parum ad suspicionem, quam contra ipsum motam videmus, augendam facere, opus non erit ut fusius demonstremus. Apparet etiam odii illius, quod in se contraxit, infestissimi, quo ne mors quidem eum liberare potuit, etsi forte non sufficiens, saltem non inanis causa (2). Quo circa eorum, quae contra Marcionem valent, recensione ad finem perducta, jam ad alteram audiendam partem nos convertamus.

---

(1) Tertull. de praescr. adv. Haer. C. 7 & 30. — Cf. etiam: Prudentius de Hamartigenia adv. Marcionitas, vs. 36 sqq. et passim.

(2) Cf. etiam Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum p. 274, ubi Polycarpus Marcionem compellasse fertur: πρωτότοκον τοῦ διαβόλου. — Eusebius, qui eandem narrationem tradidit Hist. Eccl. l. IV. c. 14, Marcionem ipse alio loco (H. E. l. V. c. 13) λύκον ποντικὸν appellavit.

PARS SECUNDA.

IN QUA, QUAE AD MARCIONIS INTEGRITATEM FIDEMQUE TUENDAM A NONNULLIS RECENTIORIBUS IN MEDIUM PROLATA SUNT, DISCEPTANTUR.

Quae contra Hahnii aliorumque de Marcione sententiam nuper disputata sunt, ad quatuor potissimum capita referri possunt, quorum *primum* est, quod Ponticum Lucae adulterasse Euangelium veterum testimoniis nullo modo probatur; *secundum*, quod probabilis non potest reddi causa, cur ejusmodi flagitium ab illo commissum fuerit; *tertium*, quod ipsa Euangelii Marcionitici, quoad notitia ejus ad nos pervenit, ratio postulare videtur, ut culpa eum liberemus; *quartum*, denique, quod Euangelii Lucae canonici talis est forma, ut recentiori manu corruptum se ab omni parte prodat. De singulis videamus.

§. I.

Veterum testimoniis, Marcionem Lucae Euangelium adulterasse, nullo modo probatur.

Quod primo loco posuimus argumentum, triplex est. Petitur scilicet *tum* ex ambigua vocis *Euangelii* apud patres ecclesiae significatione; *tum* e parvo, quod eo-

rum testimoniis universe tribuendum est, pretio; *tum ex observata vanitate criminationis, secundum quam etiam ceteris N. T. libris vim intulisse Marcion dicendus fuerit.*

Negari sane non potest, immo admodum lubenter ab ecclesiasticae traditionis impugnatoribus concedi solet, Marcionem, si Tertulliano auscultandum censes, non aliud solum in docendo Euangelium secutum esse, sed ipsum quoque se *Euangelii emendatorem* palam esse professum. Animadvertendum vero iis videtur, et Tertullianum saepius, et Marcionem semper, voce *Euangelii* ita usos fuisse, ut non de singulari quodam libro, sed de universa, quae dicitur, traditione euangelica cogitasse videantur. Tali igitur sensu ipsum Marcionem se nuncupari voluisse affirmant *emendatorem Euangelii a Tiberianis usque ad Antoniniana tempora eversi*, — quo epitheto ironice eum ornavit Tertullianus Adv. Marc. l. IV. c. 4. Eodemque sensu accipiendum putant, quod eodem loco de illo traditum legimus, eum scilicet » *arguisse per antitheses* euangelium *ut interpolatum a protectoribus Judaismi, ad concorporationem legis et prophetarum qua etiam Christum inde confingeret.*" Effici quidem aiunt ex hisce aliisque pluribus hujus generis dictis, multum abfuisse, quin ecclesiasticae traditioni fidem praestaret Ponticus; minime vero ipsos, quibus traditio ista divulgabatur, libros purgandos eum sibi sumsisse exinde probari posse contendunt. Immo, quod hujus criminis reus factus est, hoc nullam aliam habuisse causam dicunt, nisi

hanc, quod Tertullianus ambiguae significationis vocem: *Euangelium* prave intellexerit (1). Idque sane eo minus esse mirandum putant, quo magis ipsum hunc Marcionis adversarium varios istius vocabuli sensus ita confudisse apparet, ut saepenumero dubitandum sit, quid sibi voluerit, utrum Euangelii historiam, an librum quendam Euangelicum spectaverit; saepius etiam pateat, eum nullum omnino discrimen inter utrumque admisisse, sed ita statuisse ut, qui traditionem euangelicam ex parte missam faceret, etiam librorum euangelicorum adulterator is necessario existeret; contra, qui euangelica scripta, quae ecclesiae auctoritate invaluerant, purganda esse existimaret, is quoque a veritatis regula aberrasse censendus esset (2).

---

(1) Cf. Ritschelius, *Das Evang. Marc.* u. s. w. p. 26, ubi legimus: » Die Annahme also, dass Marcion selbst sich für den Verbesserer einer Evangelienschrift ausgegeben habe, welcher Hahn den grössten Beifall schenkt, erweist sich als ein aus Tertullians unhistorischen Voraussetzungen fliessendes Missverständniss des allerdings doppelsinnigen Wortes *evangelium*."

(2) Vid. Ritzschel. l. l. p. 23 sqq. Imprimis vero Schweglerus, qui in opere suo supra laud. *Nachap. Zeit.* (I. p. 278 sqq.) vim hujus argumenti egregie expressit dicendo: » Nicht überall also, wo Tertullian vom evangelium Marcionis, von einem adulteratum evangelium spricht, ist Marcions Evangelienschrift, sondern sein nach des Kirchenvaters Meinung *verfälschtes Christenthum* überhaupt darunter zu verstehn. Von dem letzteren spricht nun Tertullian freilich immer so, dass man hin und wieder auch die vermeintlich verfälschte *Evangelienschrift* darunter verstehen kann; er scheidet gar nicht zwischen beiden: die litterarische Fälschung und die confessionelle Fälschung scheint ihm eins und dasselbe zu seyn." Et infra: » Es ist mit Tertullians Aeusserungen, wie aus alle dem hervorgeht, durchaus nicht ins Reine zu kommen; man gewinnt durch seine ganze Argumentation ganz und gar keine klare Anschauung von der Art und Weise, in

Atque sic simul transitus ad illud, quod secundo loco posuimus, argumentum nobis paratur. Enimvero quod tam male Marcionis Euangelium ab Euangelio Marcionitico distinguit Tertullianus, hujus rei causa quaerenda nonnullis recentiorum unice videtur in praejudicatis, quas praesertim de ecclesiasticae traditionis veritate atque auctoritate fovebat, opinionibus. Hae ipsae autem, conjunctim cum aliis multis, opiniones impedimento iis sunt, quominus tum hunc, tum ceteros, quorum mentio facta est, doctores patresque ecclesiae idoneos veritatis testes habeant, eorumque effata ita magni faciant, ut iis solis Marcionem falsi convinci arbitrentur. Quid enim? Ut Euangelium, quo Ponticus ejusque discipuli utebantur, corrumpendo ac mutilando e Lucae digestis ortum esse, demonstretur, satis habent, ad id quod hac in re vel primo loco demonstrandum esset provocasse. Sic verbi causa, ut unum citem, Tertullianus loco jam supra laud. adv. Marc. l. IV. c. 4: » Ego" inquit » Marcionis (Euan» gelium) affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis » inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei prae-

welcher er das marcionitische Evangelium benutzt, ja nicht einmal davon, ob er aus den Antithesen oder aus dem Evangelium selbst seine Behauptungen über das letztere schöpft; und wenn Hahn es so ganz unbedenklich und ausgemacht findet, dass Tertullian den Text Marcions vor sich gehabt habe, so gründet sich diese Ansicht auf eine durchgängige Missdeutung des Worts Evangelium, das Hahn immer, so oft Tertullian von dem evangelium Marcionis spricht, ohne weiteres auf den verstümmelten Lucas bezieht." Ceterum quod de Tertulliano dictum est, id in Irenaeum quoque valere, animadversio est Ritschelii, l. l. p. 26 sq.

» scribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, et » ei praejudicans vitiationem, quod posterius revincetur? » In quantum enim falsum corruptio est veri, in tan» tum necesse est praecedat veritas falsum." Hoc ipsum vero, Lucae digesta Marcionis Euangelium antiquitate superare, quomodo a Tertulliano probatur? Provocando partim ad Antitheses » per quas Marcion euan» gelium" — non Lucae, sed doctrinam universe christianam — » arguit, ut interpolatum a protectoribus Ju» daismi;" partim ad literas quasdam, in quibus ipse se catholicae prius fidei addictum fuisse professus est Marcion (1); partim denique, et summo quidem opere, ad ipsam traditionem ecclesiasticam. » Si con» stat" — sic enim legimus l. l. IV. 5 — » id verius, » quod prius, id prius quod et ab initio, ab initio, » quod ad apostolis, pariter utique constabit, id esse ab » apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum » fuerit sacrosanctum." — » Dico itaque apud illas nec » solas jam apostolicas, sed apud universas, quae illis » de societate sacramenti confoederantur, id Euangelium » Lucae ab initio editionis stare, quod cum maxime » tuemur." Quid igitur? Satis superque apparet, Tertullianum ipsam quam impugnabat Marcion catholicam ecclesiam tamquam summum litis judicem agnovisse, quum tamen nullum ista iniquiorem judicem reperiri potuisse inter omnes constet, multaque testimonia adsint, unde pateat, illam ita falsa veris mis-

(1) Schwegler, l. l. p. 283. 2.

cuisse, ut, quanam ex parte traditionibus ejus fides habenda, quanam deneganda sit, incerti subinde haereamus (1). Infitias sane iri non potest, — neque etiam opus est — universam, quam aiunt, ecclesiam Catholicam Tertulliani temporibus Lucae, quod habemus, Euangelio usam fuisse, Marcionis contra, utpote haereticum, repudiasse. At inde non sequitur, ab Apostolorum inde aetate hoc ita obtinuisse. Immo, aeque minus ac de Marcionis Euangelio firmis rationibus probari potest, illud jam pridem exstitisse, aeque minus ecclesiae auctoritate cogimur, ut, Lucae digesta ab initio inde in usu fuisse, cum Tertulliano statuamus (2).

Sunt porro et multa alia, quae, quominus hujus ceterorumque ecclesiae doctorum effatis fidem habeamus, obstare dicunt scholae imprimis Tubingensis doctores ac discipuli. Pertinet huc secundum illos insignis quaedam *credulitas*, nec non *proclive ad omnia*, quae dogmaticis ipsorum sive placitis, sive erroribus convenire videbantur, *accipienda ingenium*, unde factum est, ut, quo magis liber aliquis fidei catholicae referret colorem, eo majorem quoque auctoritatem illi adsignare consuevissent (3). Pertinet etiam incerta, et

---

(1) Cf. quae scripsit Schwegler, l. l. I. p. 62 sq. Ritschl. l. l. p. 31.

(2) Schwegler, l. l. I. p. 277 & 283 sq. Ritschl. l. l. p. 29 sqq.

(3) Schwegler, l. l. I. p. 46 sqq. » Alles glaublich zu finden, sobald es erbaulicher Natur ist — diess ist genau der historische standpunkt der ältesten Väter." Ibid. p. 47. Cf. de Wette, l. l. p. 105.

ut ita dicam, parum critica ratio, qua in Antithesibus Marcionis refellendis usus est Tertullianus, quippe quae persaepe dubitare nos facit, utrum revera in Pontico Euangelio defuerint', qui exinde *erasi* traduntur loci (1). Pertinet eodem jure, quod de Marcionis discipulis ipsum Tertullianum testatum esse jam supra monuimus, eos nempe » quotidie euangelium suum reformare" fuisse solitos (adv. Marc. IV. 5), quum exinde appareat, quomodo ab ipso Marcione lectum sit, a nobis definiri amplius vix posse (2). Pertinet imprimis vero partium, quo ad unum omnes ecclesiae patres erga haereticum nostrum ducti sunt, studium, quodque vel maxime cautos nos facere debet, ne maledictorum, quibus eum, nec eum solum sed universam ejus scholam, cumularunt, vim exaggeremus. » Notanda sunt » denique" — ut verbis Rhodii utamur (3) — » creberrima illa vestigia irae ac studii quo Patres inveniuntur in nostrum quoque haereticum ejusque scholam, quo cujusvis generis convicia foedissima in eos congerunt, quo saepius affligunt doctrinam eorum vituperantes solum, non refutantes, quo invidiosa inde concludunt atque causam sententiamque offensione non vacantem ei subjicere solent, utpote qui existi-

(1) Schwegler, l. l. p. 279.

(2) Schwegler, l. l. I. p. 262. — Neudecker, l. l. p. 82. Ceterum ad hoc ipsum reformandi studium ab adversariis Marcionis frustra provocari (vid. supra p. 50) contendit Ritschel. l. l. pag. 37.

(3) *Prolegomenorum ad quaestionem de Euangelio Apostoloque Marcionis denuo instituendam* Cap. I—III. p. 30 sqq. p. 40 sq.

» ment omnia posthabenda ei quam amplectuntur fidei.
» Quae ut per se dubitationem vix movebunt iis qui
» Patrum opera contra haereticos percurrerint, ita his
» firmantur exemplis. Justinus Apol. II. p. 70 A
» coll. p. 92 A—C. Rhodon ap. Eusebium Hist.
» Eccl. V. 13. p. 177 C. Irenaeus adv. haer. I. 29
» et passim. Premit Irenaei vestigia Tertullia-
» nus, quem satis magnum suae ecclesiae fideique stu-
» dium prae se ferre intelligis statim ex initio operis
» sui contra Marcionem conscripti, magis etiam aliis ex
» locis, ubi inveniuntur appellationes quales »hypocrita,"
» »nauclerus," »canes," »haeretica dementia," aliae
» minime rarae, persaepe quoque ironice dicta." —
» Origenes quoque de Marcione sicut de haereticis
» in universum inique judicat, quod vides ex ejus ho-
» mil. 8 in Levit. p. 232 C. etc." » Haud aliter Cy-
» prianus; conf. ejus epist. ad Pomp. 74 p. 138 etc."
» Deinde auctor dialogi minime videtur abhorruis-
» se ab opinione illa praejudicata, quum Megethium
» satis inepte et nonnunquam plane non respondentem
» exhibeat, etsi, quae Adamantius et Eutropius ei ob-
» jiciunt, non ita sunt firma. Quo referas Sect. II.
» p. 808 etc." » Athanasius item acriter invehitur
» in Marcionem aliosque haereticos in libro contra omn.
» haer. C. 8." — » Inter omnes autem longe gravissimo
» odio Epiphanius adversarium suum afficit et de
» ejus vita narrans, quae admodum sunt invidiosa, ab
» aliis tacentur atque propterea pro veris vix sunt af-
» firmanda, et causas doctrinae ejus subjiciens, quae

» habent offensionem, et dogmata ei assignans, quae » aliis magis quam Pontico debentur, et sententiam » praeceptorum ejus aliam interpretans atque voluit » auctor, et maledictis, quibus libet inhonestissimis non » solum ejus disciplinam, sed etiam eum ipsum ejus- » que discipulos vexans, immo omnes qui aliter quam » ecclesia catholica doceant non Christum sed se prae- » dicare judicans. Cf. v. c. p. 504 D. 508 C. D. 502 » A. B. 526 D. 510 B. 529 C. 530 B. 505 C. 507 B. » etc. etc." (1).

Provocari, ultimo loco, ab adversariis Marcionis ad rationem solet, qua haereticus iste reliquis tum V. tum imprimis N. T. libris usus fuisse ab antiquis perhibetur (2). Contra, qui eum tueatur, multam operam impendunt demonstrando, etiam quae hac de re antiqui isti ediderunt testimonia parvi, immo *nullius* pretii esse habenda. Marcionem quatuor nostra Euangelia novisse non tantum, sed et cum fide aliquando accepisse, quod ex Irenaei et Tertulliani verbis satis certo effici posse nonnullis videbatur (3), diserte negant (4); quod autem ad ejusdem Apostolicum at-

(1) Cf. Schweglerus, qui imprimis Tertullianum ψεύδους convicturus, affirmare haud dubitavit: » dass er in seiner Polemik » gegen die Häretiker nicht der zuverlässigste Gewährsmann ist, dass » er in seiner Leidenschaftlichkeit die unredlichsten Sophismen und » Advokatenkniffe nicht verschmäht, dass er seinem Gegner oft » gerade zu das Wort im Munde verdreht, wie er denn gegen Mar- » cion in Dingen, wo dieser durchaus im Rechte est, mit gleich » unverständigem Eifer losfährt." u. s. w. l. l. I. p. 277.

(2) Cf. quae supra hac de re monuimus p. 37 sqq.

(3) De Wette, *Einleit. ins N. T.* p. 113.

(4) Schwegler, l. l. I. p. 281 sqq. Ritschl. l. l. p. 34 sqq.

tinet, quo, ut vidimus, ex veterum testimonio decem tantum Pauli epistolae, eaeque variis modis cum mutilatae tum adulteratae continebantur, longe abest, quin etiam hic in Tertulliani, Epiphanii aliorumque verba jurandum sibi esse existiment. Observatum scilicet volunt, plures, quae Marcioni vitio datae sunt, » vitiationes scripturae" (1), nil aliud fuisse nisi varias quibus usus est lectiones aut inconsulta calami vitia. Sic v. c. Gal. V. 9 pro ζυμοῖ habebat δολοῖ, quae tamen lectio in pluribus codicibus versionibusque reperitur, etsi Epiphanius, varietate illa notata, iratus adjicit: ἵνα μηδὲν ἀληθὲς παρ' αὐτῷ εὑρεθείη οὐδαμοῦ σχεδὸν ἄνευ ῥαδιουργίας ταῖς γραφαῖς προσενήνεκται (2). Ejusdem generis exempla sunt loci: Gal. II. 5, ubi verba: οἷς οὐδὲ a Marcione quidem, non vero a Tertulliano legebantur (3); 1 Cor. I. 18, ubi pro simplici: δύναμις, Marcion δύναμις καὶ σοφία habuisse fertur (4); ib. IX. 8, ubi pro ἐν νόμῳ eum ἐν Μωϋσέως νόμῳ scripsisse testatur Epiphanius (5); ibid. X. 19, ubi pro: εἴδωλον habebat ἱερόθυτον (6); ibid. XIV. 19, ubi pro: διὰ τοῦ νοός μου legisse fer-

(1) Tertull. adv. Marc. l. v. c. 3.

(2) Ritschl. l. l. p. 161. — Baur, *Hist. Unters. über die kan. Evang.* p. 414.

(3) Baur, l. l. p. 415 sq.

(4) Ritschl. l. l. p. 161: » Est ist dies natürlich nur eine unschultige Variante" u. s. w.

(5) » Letzteres ist aber unser recipirter Text, und die Abweichung so gering, dass nur ein Epiphanius eine bösliche Absicht dahinter suchen kann." Ritschl. l. l. p. 162.

(6) » Die Variante ist gewiss gleichgültig." Ritschl. l. l.

tur: διὰ τὸν νόμον (1); ibid. XV. 45, ubi omisit vocem: ἄνθρωπος (2); 2 Cor. IV. 13, quo loco de Ms. ejus exciderunt verba: κατὰ τὸ γεγραμμένον (3); 1 Thess. II. 15, quem vs. Tertullianus tractans: » *suos*" inquit » adjectio est haeretici" (adv. M. V. 15), etsi etiam apud nos recepta sit lectio: τοὺς ἰδίους προφήτας; 2 Thess. I. 8, ubi in Marcionis codice deerant verba: ἐν πυρὶ φλογός (4); Eph. II. 15, ubi vocem αὐτοῦ omisisse perhibetur » ut inimicitiae daret carnem, quasi carnali vitio, non Christo aemulae" (Tert. adv. Marc. V. 17) (5); II. 20, quo loco non habebat: καὶ προφητῶν (6); III. 9, ubi praep. ἐν omisit ante τῷ θεῷ (7); V. 31, quo loco Marcionem non legisse γυναικί, s. quod recepta est lectio πρὸς τὴν γυναῖκα, auctor est Epiphanius (Schol. 58) (8); VI. 2, ubi omissa ab eo traduntur verba: ἥτις ἐστιν

---

(1) » Ein alter Schreibfeler, der auch in alte latienische Uebersetzungen übergegangen ist." Ritschl. l. l.

(2) Ritschl. l. l.

(3) » Auch diese gleichgültige Variante soll Marcion absichtlich gemacht haben, während er unzählige Berufungen auf das A. T. zum Zeugniss gegen sich stehen liess!" Ritschl. l. l. p. 163. — Cf. de locis ex I & II Cor. quorum recensio a Ritschelio facta est, Baur, l. l. p. 416.

(4) » Auch dies ist nur eine zufällige Auslassung, denn wie Tertull. selbst hinzusetzt, konnte ihm die Aenderung zu nichts helfen." Ritschl l. l. p. 167.

(5) » Diese Absicht ist natürlich von Tertullian dem Gegner blos untergeschoben, die Abweichung selbst ein unbedeutendes Versehen." Ritschl. l. l. p. 168.

(6) » Auch dies ist eine absichtslose Auslassung." Ritschl. l. l.

(7) Ritschl. l. l.

(8) » Natürlich ganz zufälligerweise." Ritschl. l. l.

ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ (1).

Reliqui, qui contra Marcionem adferri solent, loci ita fere habentur comparati, ut iis inspectis »scripturae vitiationes" data opera eum commisisse ecclesiae doctoribus vix aut ne vix quidem concedi a nobis posse videatur.

Eum, quae leguntur Gal. III. 6—9, sustulisse proditum legimus ab Hieronymo (Comm. in epist. ad Gal. a. h. l.). Idem quoque a Tertulliano, cujus auctoritate niti videtur Hieronymus, affirmari, Hahnii aliorumque sententia est. At quae huc pertinent hujus patris verba (adv. Marc. V. 3) accuratius intuentibus, facile nobis patere aiunt Marcionis fautores, exinde nil aliud justo modo effici posse, nisi hoc quod vs. 7 in Marcionis codice frustra quaesiverit. Quod si ita est, absentia unius hujus vs. omnibus potius aliis, quam scripturae corruptelae consulto factae erit tribuenda, quum ceteroquin explicatu difficillimum foret, cur, hoc vs. sublato, reliquis, quae arctissime cum eo cohaerent, Marcion pepercerit (2).

Marcionem Gal. III. 14ᵃ, et porro a vs. 15 inde usque ad IV. 2 delevisse, exceptis tantum iis, quae leguntur III. 26, — audax est Hahnii adsertio, nullo vero modo Tertulliani verbis probatur (3).

(1) » Welcher Fall sich den übrigen als gleichartig anreiht." Ritschl. l. l.

(2) » Und diesen *einen* vers hätte Marcion absichtlich getilgt aus dogmatischen Gründen, und hatte doch alle damit im engsten Zusammenhang stehenden Gedanken übrig gelassen? Dies kann nur annehmen, wer den Marcion für einen Schwachkopf zu halten wagt!" Ritschl. l. l. p. 155. Cf. Baur, l. l. p. 412.

(3) Citatis scil. quae III. 14ᵇ habentur Tertull. sic pergit:

IV. 4 a Tertulliano quidem praetermittuntur verba: *γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον*. Exinde autem non sequi, Ponticum ea sustulisse, alii nobis indicio esse possunt loci, ubi Tertullianus pariter compendio quodam scribendi usus est (1).

De lacunis, si Hahnio auscultandum censes, etiam IV. 21—31 obviis, ita statuendum videtur, silentium Tertulliani non sufficere ad demonstrandum, Marcionem certa quaedam verba, quae ab adversario

» sed et cum *adjicit:* omnes enim estis filii fidei (vs. 26) ostenditur" rellq., unde Hahnius efficere sibi visus est, Marcionem vs. 15—25 delevisse. Ritschelius autem ad alios provocat locos, ubi Tertullianus eodem plane modo eadem formula usus est, etsi ne Hahnius quidem inde concludere audeat, aliqua a Marcione illic praetermissa esse, l. l. p. 157 sq. Ceterum, lacunam supra memoratam in Euangelii Pontici textu adfuisse, etiam inde comprobare studet Hahnius, quod, interjacentium vss. nulla mentione facta, Tertull. Gal. IV. 3 ita retulit: » Adhuc secundum hominem dico (quae verba e III. 15 desumta sunt), dum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus positi ad deserviendum eis" (adv. M. V. 4), mox autem adjecit: *Erubescat spongia Marcionis*, nisi quod ex abundanti retracto quae abstulit, quum validius sit illum ex his revinci quae servavit." Refutare eum conantur Ritschelius (l. l. p. 158 sq.) et Baurus (l. l. p. 413 sq.), ille ponendo Marcionem ex Tertulliani sententia *spongia* tantum usum esse, ut verba: *κατὰ ἄνθρωπον λέγω* (III. 15) Cap. sequentis initio repeteret; hic ostendendo, Tertullianum ipsum, non vero Marcionem mutationem istam commisisse, haereticam autem spongiam innuentem cogitasse, ut videtur, absentiam III. 7, quam Pontico crimini datam fuisse supra vidimus.

(1) Provocat Ritschel. ad Gal. VI. 9, 10, qui locus a Tertull. hoc modo decurtatus redditur: » Bonum autem facientes non fatigemur: et dum habemus tempus operemus bonum" (adv. M. V. 4). Quod ad verba supra laudata attinet, eo facilius ea praetermittere potuit Tertullianus, quod, ceteris exceptis, hoc unum ei esset propositum: » probare nullum alium Deum ab apostolo circumlatum esse quam creatorem." (l. l. V. 1). — Ritschl. l. l. p. 160. Baur, l. l. p. 414.

ejus praetermissa videmus, de codice suo erasisse. Citantur quidem Tertulliani verba (l. l.): » sed ut solet furibus aliquid excidere de praeda in indicium, ita credo et Marcionem novissimam Abrahae mentionem dereliquisse nullam magis auferendam, etsi ex parte convertit." At nimis vaga haec verba sunt, quam ut jure quid et satis certo exinde effici liceat (1).

1 Cor. XI. 7 verba γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστιν a Marcione deleta esse, quae Hahnii conjectura est, neque Tertullianus (adv. Marc. V. 8), neque Epiphanius (Schol. XIX) innuit (2).

Ibid. XV. 45 Marcion pro: ἔσχατος Ἀδάμ legisse fertur: ἔσχατος Κύριος (Tertull. adv. Marc. V. 10, Dial. de r. fide sect. V. p. 150. Edit. Wetst.). At nihil nos impedit, quominus lectionem istam e glossemate oriundam fuisse putemus (3).

Quod porro Pauli ad Romanos epistolam attinet et » foveas, quas in ista vel maxime epistola Marcion fe- » cerit auferendo quae voluit" (4), plura nobis observanda esse contenditur, ne falsis, ut videtur, Hahnii ratiocinationibus circumveniamur. Ac primum quidem mirandum fore, si Marcion hanc quam maxime epistolam mutilasset, Epiphanium eam ita silentio prae-

(1) Ritschl. l. l. p. 161.

(2) Ritschl. l. l. p. 162. Neque etiam, adjicimus, e loco quodam Dialogi Pseudorigeniani de recto fide, quem citat Hahnius (Sect. V. p. 141. Ed. Wetst.) tale quid probari posse videtur.

(3) Ritschl. l. l. p. 162.

(4) Tertull. adv. M. V. 13. Totum, ad quem haec verba pertinent, locum supra expressum legis p. 42 sq.

terlisse, ut quid exinde a Pontico sublatum esset, ne verbo quidem indicaret (1). Ut de singulis videamus, absque idonea causa Hahnium verborum l. 17: καθὼς γέγραπται· ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται in codice Marcionis absentiam statuisse (2). Quod post recitata verba, quae Rom. VIII. 11 leguntur, Tertullianus sic pergit (adv. M. V. 14): » Salio et hic » amplissimum abruptum intercisae scripturae, sed ap- » prehendo testimonium perhibentem apostolum Israeli, » quod quidem zelum Dei habeant, non tamen per » scientiam" (Rom. X. 2), id non ita cum Hahnio explicandum esse, ac si quae interposita sunt, aut cuncta, aut magna saltem ex parte a Marcione *deleta* essent. Immo potius innuisse Tertullianum, in ipso haeretico exemplari aliquid interjacuisse, quod *transiliri a se potuit.* » Abruptum" igitur » intercisae scripturae" h. l. tantum scripturae cujusdam hic illic interpolatae partem significare, minime vero, hanc ipsam partem mutilatam fuisse, hisce verbis indicari (3).

Aeque minus, si Ritschelio aliisque auscultes, Hahnio adsentiendum tibi erit, statuenti omnia, quae inde a Rom. X. 5 usque ad XI. 32 habentur, a Marcione fuisse sublata. Enimvero quod etiam de hisce tacet

(1) Ritschl. l. l. p. 163.

(2) Ritschl. l. l.

(3) » Wenn Tertullian etwas überspringt, so muss etwas dagewesen seyn. Dies nennt er nun einen abruptus intercisae scripturae, einen Abschnitt der Schrift die übrigens Verstümmelungen erlitten hatte; dass diese aber gerade in diesem Theile, nämlich Cap. 8. 9. vorgekommen seien, davon wird ja gerade das Gegentheil behauptet" u. s. w. Ritschl. l. l. p. 164.

Tertullianus, argumenti loco nullo modo esse potest. Eo minus, quod ipse ille ecclesiae doctor innuisse videtur, totum huncce locum ad *amplissimum* illum *abruptum* pertinere, quem salire decreverat (1), sibiquemet ipse contradixisse dicendus esset, si locum a Marcione sublatum esse indicare voluisset, quem paulo ante in hujus Apostolo adesse non obscure significaverat. Quod tamen in eodem hocce orationis contextu sermo apud eum est de adulterationibus quibusdam a Marcione commissis (2), hoc nullo modo ad ea, quae proxime praecedunt, pertinet, sed universe ad omnia, *quae* Paulus — ut opinabatur saltem Tertullianus — *supra disseruerat in fidem Christi ex lege venientem*, quaeque ei dogmaticis Marcionis placitis quasi *erasa* (i. e. subversa) videbantur. Neque igitur haereticum istam scripturam aut mutilasse aut interpolasse queritur, sed, *sensum* scripturae falsis ipsius interpretamentis adeo convertisse illum, ut ipse sibi Apostolus oblocutus esse videatur, quum Rom. XI. 33 laudes Dei celebret, qui, si Marcionis sententia praevaleret, pauper et egenus esset habendus. Ceterum

---

(1) Quod jure sibi efficere videtur Ritschel. e verborum supra laudatorum: *sed apprehendo* significatione. l. l. p. 164.

(2) Respiciuntur hic quae memorato loco: Rom. XI 33 (o profundum divitiarum et sapientiae Dei etc.) uno tenore adjecit Tertullianus: » Unde illa eruptio? Ex recordatione scilicet scripturarum, quas retro revolverat, ex contemplatione sacramentorum, quae supra disseruerat in fidem Christi ex lege venientem. Haec si Marcion de industria erasit, quid apostolus ejus exclamat, nullas intuens divitias Dei tam pauperis et egeni, quam qui nihil condidit, nihil praedicavit, nihil denique habuit, ut qui in aliena descendit" (l. l. V. 14).

negari non potest, verba quibus h. l. usus est Tertullianus admodum ambiguae esse interpretationis, atque sic omnino comparata, ut vituperare iis Marcionem ob ipsius scripturae corruptelam facile cuidam videri possit (1).

Rom. XI. 33 verba ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας a Marcione deleta fuisse Hahnius contendit, sed nullo alio argumento fretus, nisi hoc, quod verba ista a Tertulliano praetermissa videmus, quum tamen exinde, ut saepius diximus, satis firmum ejusmodi sententiae praesidium peti nequeat (2).

Atque sic unicus restat locus, de quo etiamnunc nobis dicendum est. Neque profecto dubitari potest, quin locus ille — spectamus enim duo postrema epistolae ad Rom. capita — a Marcione non lectus sit (3). At vero hoc tum demum crimini illi verti potuisse, si hujus loci genuina origo omni dubio esset exemta, nemo est quin sponte videat. Quidquid autem de genuina illa origine sentiamus, sive accipiamus, sive negemus illam, hoc certo constat, jam saeculo 2. epistolam ad Romanos absque duobus postremis capitibus pluribus exemplaribus divulgatam fuisse, ut mi-

(1) Ritschl. l. l. p. 164 sqq. Cf. Baur, l. l. p. 416 sq.

(2) Ritschl. l. l. p. 166.

(3) Quod testatur etiam disertis hisce verbis Origenes (Comment. in ep. ad Rom. XVI. 25): „Caput hoc (XVI. 25—27) Marcion a quo scripturae evangelicae atque apostolicae interpolatae sunt, de hac epistola penitus abstulit. Et non solum hoc, sed et ab eo, ubi scriptum est: quod non ex fide est, peccatum est (XIV. 23) usque ad finem cuncta dissecuit."

rari desinamus oporteat, etiam ad Marcionem ejusmodi exemplar pervenisse (1).

Quod locum Col. I. 15—17 attinet, fatendum sane est, si omnia quae — ut Tertulliani verbis utamur — *Marcioni* in illo *displicere oportebat*, in codice haeretico non legerentur, quae Hahnii est sententia (2), exinde non levem contra ejusmodi vitiatae lectionis auctorem suspicionem fore orituram. Probabilibus tamen rationibus evinci licet, Tertullianum ne innuere quidem tale quid voluisse, sed solummodo ita finxisse, ac si, quae Marcionis placitis adversa essent, huic quoque delenda fuissent visa, ut, inde exorsus, dogmatico certamine hostem suum vinceret (3).

---

(1) Ritschl. l. l. — Cf. Baur, qui testimonii Origeniani modo laudati mentione injecta sic pergit scribendo: » Gewiss verdient die Angabe des Origenes allen Glauben, dass Marcion jene beiden Kapitel nicht hatte, aber nur darum hat er sie nicht, weil sie als unpaulinisch, wofür sie, kritisch betrachtet, ihrem ganzen Inhalt und Charakter nach gehalten werden müssen, damals entweder gar nicht exististen, oder wenn sie auch in Handschriften aufgenommen waren, von Marcion als ein unächter Bestandtheil der paulinischen Briefen erkannt wurden" (l. l. p. 419).

(2) Cf. quae supra scripsimus p. 45 sq.

(3) Ritschl. l. l. p. 168 sq. » Man muss desshalb sehr zweifelhaft werden, ob er (Tert.) nicht blos fingirt, dass Marcion hier einen andern Text gehabt hat, weil die dogmatischen Formeln durch Marcions System ausgeschlossen wären." — » Auch die Worte: *illa quae Marcion detraxit*, würden ohne Schwierigkeit auf die *dogmatische* Leugnung jener Formeln durch Marcion sich beziehen lassen." Cf. Baur, qui multo confidentior Ritschelio de hoc loco scribere non dubitat: » Die bedeutendere Lücke, welche Marcion im Briefe an die Colosser I. 15—17 (mit Ausnahme weniger Worte) gemacht haben soll, ist so gar nicht einmal von Tertullian, sondern nur von Hahn in das Sündenregister Marcion's gesetzt worden." l. l. p. 417.

Perlustratis igitur singulis, qui ex epistolis paulinis a Marcione sublati perhibentur, locis, paucis nobis de universo ejus Apostolico monendum superest. Scilicet crimini ei datum fuit, quod neque tota, neque *omnia* Pauli scripta in Canonem suum receperit. At quaenam horum repudiasse fertur? Ipsissimas illas epistolas, de quarum *νοθείᾳ* in dies magis inter viros doctos constat, epistolas scil. ad Timotheum duas, ad Titum unam, et illam, quae ad Hebraeos inscripta legitur. Profecto de his omnibus valet, quod supra de duobus epistolae ad Rom. capitibus ultimis monuimus, absque omni nempe dubio scripta ista in Canone ejus hanc unice ob causam non exstitisse, quod notitia eorum aut non ad eum pervenerit, aut, si pervenisset, ea tamquam non genuina in Apostolicum suum recipere jure recusaverit (1).

§. II.

Caret quoque probabilitate adsertio, Marcionem, ea quo fertur modo, vim intulisse Lucae Euangelio.

Secundo loco venit, quod Olshausenio, Hahnio ceterisque Marcionis accusatoribus opposuerunt cum alii, tum imprimis Schweglerus, nullam scilicet pro-

(1) Baur, l. l. p. 420: » Es ist in der That höchst bemerkenswerth, wie genau die Resultate der neueren kritischen Forschungen in Betreff der paulinischen Briefe mit demjenigen zusammentreffen, was sich in den verschiedenen Angaben über den marcionitischen Kanon als das allein Bewährte und Sichere ergibt." Cf. quae scripsit Ritschl. l. l. p. 153 sq.

babilem posse reddi rationem cur ea, quae, si Tertulliano Epiphanioque fides habenda sit, in Euangelio Pontico desiderabantur, de industria exinde submota esse statuamus (1). Provocatur quidem ad haecce Tertulliani verba, quae jam supra laudavimus: » Contraria quaeque sententiae suae erasit (Marcion), » conspirantia cum creatore, quasi ab assertoribus ejus » intexta, competentia autem sententiae suae reserva- ». vit" (adv. Marc. IV. 6). Atqui hoc non ita obtinuisse, etsi Tertulliano visum sit, res ipsa manifesto docet. Quid enim? Marcionem Lucae textum hic illic immutando, resecando, interpolando corrupisse crediderimus, quum nihilo minus in ejus Evangelio permultos exstitisse locos conpertum habeamus, unde ecclesiae doctores confundendi eum ansam sumserint? Cui bonum igitur, quod sui causa, et in systematis sui gratiam commisisse fertur, nisi cetera quoque, quae placitis ejus pariter adversa essent, aut mutasse, aut penitus sustulisse dicendus sit? Neque etiam confugere juvat ad id, quod Tertullianus conjecit potius, quam probavit, Marcionem nempe non pepercisse nisi eis, quae non minus *aliter interpretando*, quam *delendo* subvertit (adv. Marc. IV. 43). Enimvero hoc tum demum aliquantulum valeret, si pauca quaedam, quae, licet contraria sibi, non sine magno contextus damno auferri poterant, in Euangelio suo remanere sivisset Ponticus. Prout nunc autem res se habet, ejusmodi

(1) *Nachap. Zeit.* I. p. 263. — Cf. Ritschl. l. l. p. 19 sq. et p. 65 sqq.

conjectura uti, ridiculum fere videtur. Repetere nolumus quaestionem, quidni Marcion, quod ex parte fecisse accusatur, quodque, ut vituperatores ejus ajunt, tam facile ei cessit, ut sensum nimirum S. Scripturae hic illic interpretando potius quam delendo subverteret, quidni igitur hoc ipsum in ceteris quoque remedium adhibuerit? At hoc rogamus, quonam jure statui possit, eum multa de industria erasisse utpote placitis suis adversa, quum aeque multis ejusdemque prorsus indolis pepercisse eum constet? Adeone igitur omnis omnino consilii expertem eum fuisse putabimus, adeo levem, ut, quod uno loco committeret, altero committere aut non curaret, aut non necesse haberet?

Luc. VII. 29—35 — juvabit enim ad luculentissima quaeque exempla provocasse — praetermissum videmus a Tertulliano. Hahnius inde concludit, hunc totum locum in codice Marcionis defuisse, quod ita deinceps probare conatur, ut ostendat, non aliter potuisse fieri, quin quae potissimum vs. 34 legebantur (*ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων*) haeretico displicerent viro (1). At si hanc ob causam Marcion hos vss. delevisse censendus est, cur non eodem quo-

(1) Haud supervacaneum videtur, ipsa, quibus Hahnius l. l. usus est, verba excitasse, quum inde eum neque solum, neque potissimum vs. 34 in praesidium sibi advocasse luculenter appareat. Scribit enim (l. l. p. 147 sq.): » Luc. VII. 29—35 werden » ganz von Tertullian uebergangen, passten auch nicht zu Mar- » cions Lehre und Disciplin, wenigstens nicht 29, 30, 33, 34, wo » theils ein Verhältniss des Johannes zu Christus vorausgesetzt » wird, wie es Marcion nicht annahm, theils Christus als *wein* » *trinkend* etc. zu sinnlich geschildert wird für Marcion."

que modo sustulit, quae Luc. V. 29—35 habentur, ubi Levi δοχὴν μεγάλην Conservatori parasse dicitur, Jesusque obtrectandi causa a Pharisaeis rogatus, διὰ τί μετὰ τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε; et διὰ τί μαθηταὶ Ἰωάννου νηστεύουσι πυκνὰ, οἱ δὲ σοὶ ἐσθίουσι καὶ πίνουσι; non solum verbis, sed ipsius suo exemplo, se lautiorem talem vivendi rationem a regno divino non alienam existimare declaravit (1)?

VIII. 19 verba: παρεγένοντο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, utpote doceticis suis de Christo opinionibus repugnantia, Marcion omiserit (2); at vel sic tamen iis, quae vs. 20 habentur, pepercerit verbis: καὶ ἀπηγγέλη αὐτῷ, λεγόντων· ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω (3).

X. 25 eum loco: τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; deleta voce αἰώνιον, legisse tantum: τί ποιήσας ζωὴν κληρονομήσω ab antiquis traditur » ut scilicet de ea vita videatur consuluisse, quae in lege promittitur a Creatore longaeva" (4); nihilo tamen minus immutata servavit, quae XVIII. 18 exhibentur verba: καὶ ἐπηρώτησέ τις αὐτὸν ἄρχων λέγων· διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω (5).

XI. 29 eum sustulisse τὸ περὶ Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου, καὶ περὶ βασιλίσσης νότου καὶ Σαλομῶνος, Epipha-

(1) Schwegler, l. l.

(2) » Da Christus (nach Marcions System) gar nicht geboren, weder Mutter noch Brüder hatte." Hahn, l. l. p. 148.

(3) Schwegler, l. l. p. 264.

(4) Tertull. adv. Marc. IV. 25. — Cf. Hahn, l. l. p. 161.

(5) Schwegler, l. l.

nius testis est (1). Etiam quae vss. 49—51 occurrit veteris cujusdam vaticinii recordatio; si scholiorum auctoris accipiendum censes testimonium (2), ab eo praetermissa fuerit. Cujus rei causam quaerit Hahnius in praejudicatis Marcionis circa V. T. opinionibus (3), oblitus, ut videtur, alios, quod ad sensum et propositum haud ita dissimiles, locos, ut VI. 3, VII. 27, intactos ab eo fuisse relictos (4).

XI. 42 Marcion pro: τὴν κρίσιν quod apud Lucam est, τὴν κλῆσιν scripsit, secum, ut ait Hahnius (5), Deum bonum judicium non exercere reputans. At XII. 58 ipse ille haereticus servare haud dubitavit verba: μήποτε ὁ κριτὴς παραδῷ σε τῷ πράκτορι κ. τ. λ. (6).

Quae XII. 6, 7, de divina providentia etiam minimas res curante habentur, ideo a Marcione sublata esse legimus (7), quod ex ejus sententia Deus a Christo annuntiatus animorum tantum curam gereret. XII. 24 autem nullam vim intulisse dicitur verbis: κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν — καὶ ὁ θεὸς τρέφει αὐτοὺς (8).

---

(1) l. l. Schol. 25.

(2) l. l. Schol. 28.

(3) l. l. pp. 163, 165.

(4) Schwegler, l. l. Ritschl. l. l. p. 85, 87. — Cf. Hahn l. l. p. 139 & 145.

(5) l. l. p. 164.

(6) » Was er freilich an dieser Stelle auf den Weltschöpfer bezogen haben soll.” Schwegler, l. l. p. 265.

(7) Ap. Hahn, l. l. p. 167.

(8) Schwegler, l. l. Cf. etiam vs. 29. — Ritschl. l. l. p. 91. Animadvertendum tamen, quod monet Hahnius (l. l. p. 168), Marcionem h. l. de *Demiurgo* cogitasse.

XIII. 1—9 agitur de Galilaeis a Pilato occisis, nec non de ficus sterilis exsecratione. Hi vss., ut aiunt, » non conciliari poterant cum Marcionis commento de Deo bono non judice, quare eos in Marcionis euangelio non repertos, praeterit Tertullianus, defuisse diserte tradit Epiphanius (l. l. Schol. 38)" (1). At hoc non impedit, quominus in ipso illo Marcionis euangelio multis locis Dei boni de malis poenas exigentis mentio fiat. Quo pertinet tum universa de convivio frustra parato parabola, tum imprimis, quae XIV. 21 legis, verba: *τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης κ. τ. λ.*; tum alia quoque de Deo bono judicium exercente effata, ut v. c. XII. 46: *ὁ Κύριος διχοτομήσει αὐτὸν κ. τ. λ.* XIX. 27: *τοὺς ἐχθρούς μοῦ ἐκείνους — ἀγάγετε ὧδε. καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου* (2).

XIII. 28 Marcion verba: *ὅταν ὄψησθε Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ*, utpote antejudaicis ipsius placitis adversantia mutaverint: *ὅταν ὄψησθε πάντας τοὺς δικαίους κ. τ. λ.* In ficta autem de homine divite ac Lazaro paupere narratione eum neque Hadis, neque *τοῦ κόλπου Ἀβραὰμ* mentione offensum fuisse, exinde apparet, quod nihil horum delendum esse censuit (3).

Neque aliter se habet res, quod parabolam de vini-

---

(1) Thilo, Cod. Apocr. p. 446. Cf. Hahn, l. l. p. 175.

(2) Schwegler, l. l.

(3) Schwegler, l. l. p. 265 sq. — Cf. autem quae scripsit Hahnius, l. l. p. 186 sq. — et Ritschel. l. l. p. 68[1]).

toribus perfidis attinet, quam ideo emisisse fertur Marcion, quod, secundum eum, bonus Deus ante Christi in terram adventum hominibus se non revelasset, quum tamen, quam Luc. IX. 20 sqq. legimus de Domini in monte transfiguratione ejusdemque cum Mose et Elia congressu narrationem, intactam, quod ad summam rei, ab eo videmus relictam (1).

Parabolam de filio degenere ad patrem redeunte Evangelium Marcionis non exhibuit, cujus defectus causam explicaturus Hahnius observatum vult, multa in ea occurrere, quae cum austera, cui Marcionitae addicti erant, morum doctrina conciliari nullo modo potuerunt. At idem prorsus valet de aliis locis, quos tamen a Marcione sublatos esse nusquam legimus. Cf. XV. 2, ubi Jesu crimini a Pharisaeis datur: ὅτι ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται καὶ συνεσθίει αὐτοῖς, et XII. 36, ubi Conservator ad vigilantiam adhortaturus: καὶ ὑμεῖς, inquit, ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων κ. τ. λ., quum tamen, quantopere contemtu Marcion nuptias habuerit, neminem ejus doctrinae non prorsus ignarum lateat (2).

(1) Schwegler, l. l. p. 266. — Cf. quae hac de re habentur ap. Hahnium, l. l. p. 153 sqq., et Thilonem, l. l. p. 428. Nec non quae apte monet Ritschel. l. l. p. 68[a]).

(2) Schwegler, l. l. p. 266 sq. — Cf. quae de loco XII. 36 scripsit Hahn, l. l. p. 170. — Quod reliquum est, Schweglerus nonnisi causas respexit, quas Hahnius (l. l. p. 181 sq.) ad parabolae de filio degenere in Euangelio Marcionis absentiam explicandam attulit. Ad alias vero, multoque eas majoris momenti, jam supra provocatum vidimus ab Olshausenio, quem refutare conatus est Ritschelius l. l. p. 67, quonam autem successu, postea nobis investigandum erit.

Marcionem, prae odio, quo legem Mosaicam et totum Vetus Testamentum prosequi erat solitus, XVI. 17 verba: *εὐκοπώτερόν ἐστι κ. τ. λ.* ita immutasse ut legeretur: *εὐκοπώτερόν ἐστι, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ὡς καὶ ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, ἢ τῶν λόγων τοῦ κυρίου μίαν κεραίαν πεσεῖν* — vix credi potest, aliorum multorum locorum ratione habita, quibus ipse Jesus honorificam legis mentionem facit, quosque in Euangelio Marcionis exstitisse certissime constat. Cf. X. 26. XVIII. 18 sqq. XVII. 14. XI. 52. XVI. 29, 31 (1).

Teste Epiphanio, quae XVII. 10 habentur verba: *οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε· ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοι ἐσμεν κ. τ. λ.* a Marcione praetermissa fuerunt, cujus omissionis causam in eo quaerit Hahnius (l. l. p. 188), quod servorum appellatio cum Marcionis de libertate Christiana sententia parum convenire videbatur. Eandem vero appellationem reperis quoque aliis locis, iisque in Euangelio Pontico obviis, XII. 43 nempe et XIX. 13, ut nulla omnino causa sit, cur ea hoc loco uti non potuerit (2).

Cum iis, quae Luc. XIX. 9 habentur, non vero, si Hahnius audiendus est (l. l. p. 195), in Euangelio

(1) Schwegler, l. l. p. 267. — Cf. tamen de locis supra laudatis, quae leguntur ap. Hahnium, l. l. p. 187 sq. 190 sq. 192 sq. et p. 166. — Animadvertatur quoque significatio vocis *ἦρατε* XI. 52, quam Schwgler vernaculo: »besitzen" reddidit.

(2) Schwegler, l. l. p. 268. — Ritschl. l. l. p. 117.

Marcionis exstiterunt, verbis scilicet: *καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν*, conferas XIII. 16, quo loco absque ulla mutatione etiam apud Marcionem legebatur: *ἀπεκρίθη οὖν αὐτῷ ὁ Κύριος καὶ εἶπεν· ὑποκριτὰ, ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ οὐ λύει τὸν βοῦν — ταύτην δὲ θυγατέρα Ἀβραὰμ οὖσαν κ. τ. λ.* (1).

XXII. 16 Marcion deleverit verba: *λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ·* quia alienum ab ejus doctrina judicatur, statuere Jesum agnum paschalem revera comedisse (2). Quasi vero non in ipso Marcionis Euangelio, in hac ipsa contexta oratione, multa reperiantur, quae eundem prorsus sensum exhibeant! *Quasi* non proxime praecederet, quod legitur vs. 15 Conservatoris dictum: *ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν*, simulque omnia, quae singulis quatuor, qui mox sequuntur, vss. (17—20) occurrunt, a Marcione essent sublata! (3).

Locum XXII. 42—44 a Marcione fuisse erasum, quod quae de Jesu cum morte luctante et sanguinem sudante illic leguntur, Docetismo ejus non favere viderentur, sententia est Hahnii (4). Ob eandem causam historia quoque ortus et infantiae Conservatoris Euangelium Ponticum caruisse, ex ejusdem viri auctoritate vulgo accipi-

---

(1) Schwegler, l. l. p. 268. — Ritschl. l. l. p. 98.

(2) Hahn, l. l. p. 207.

(3) Schwegler, l. l. p. 268 sq. — De duobus postremis cf. tamen quae monet Hahn, l. l. p, 207 sq. — Ritschl. l. l. p. 107.

(4) l. l. p. 208 sq.

tur. Quod tamen secus fuisse ipso illo Euangelio docemur. Cf. VII. 46, ubi Jesum de *capite* et *pedibus* suis verba facientem audimus; XXII. 19, quo loco Conservator sacram coenam instituturus, τοῦτό, inquit, ἐστι τὸ σῶμα μου κ. τ. λ.; imprimis vero, quae XXIV. 37 sqq. a Domino cum dicta tum facta narrantur, ut discipulis ejus persuaderetur se neque πνεῦμα neque φάντασμα adspicere, sed verum hominem (1).

Et haec quidem hactenus. Accedit autem quod Marcion, si Lucae Euangelium de industria ab eo adulteratum fuerit, non tantum parum in adulterando sibimetipsi constitisse dicendus sit, mox resecando, mox reservando, quae placitis suis aeque repugnarent, sed parum quoque caute spongia usum fuisse, utpote subinde ne iis quidem parcentem, quae doctrinae suae quam maxime faverent. Quodsi enim e silentio Tertulliani, aliquem locum in Marcionis Euangelio haud exstitisse, jure effici liceat, statuendum quoque erit, defuisse illi, quae de Hierosolymorum interitu annuntiavit Conservator, XIII. 31—35; parabolam de filio degenere ad patrem redeunte XV. 11—32; parabolam de fidei potestate XVII. 5. 6; parabolam de vinitoribus perfidis XX. 9—18; narrationem de vidua paupere duos minutos numos in aerarium sacrum conjiciente e. s. p. — Alterutrum igitur: aut adulterandi crimine liberandus erit Marcion, aut oportuit eum non temere, non ad

(1) Schwegler, l. l. p. 269, ubi provocatur etiam ad VIII. 46 et V. 24. — Cf. autem ad V. 24, XXII. 19 et XXIV. 39, quae scripsit Hahn, l. l. p. 138, p. 207 et p. 220 sq.

libidinem, sed absque ullo plane consilio, prout fors et casus ferebat, Euangelii Lucae habitum formamque immutasse (1).

§. III.

Ipsa Euangelii Marcionitici, quoad notitia ejus ad nos pervenit, ratio postulare videtur, ut culpa liberemus Ponticum.

Ex iis, quae supra dicta sunt, quam infirmis fundamentis Hahnii aliorumque de Marcione S. Scripturae adulteratore adsertio nitatur, probare sibi visi sunt critici e schola Tubingensi profecti. Jam vero solvenda iis est quaestio, quonam igitur modo quod Marcionis inter et Lucae Euangelium discrimen obtinet a nobis explicari debeat? Respondent, simili fere ratione, qua jam a Semlero et post eum ab Eichhornio id explicatum fuit, statuendo nempe, canonicum Lucae Euangelium ne innotuisse quidem Marcioni, hunc vero libro quodam vetustiori fuisse usum, unde, tamquam ex fonte, Lucae digesta ita manaverunt, ut pluribus simul additamentis a seriori aetate aucta sint (2). Cujus propositionis veritatem ut tue-

(1) Schwegler, l. l. I. p. 270. » Es ist klar und im Angesicht dieser Thatsachen unläugbar: entweder ist das marcionitische Evangelium die unsinnigste, psychologisch unbegreiflichste Gewaltthätigkeit, oder ermangelt die Hypothese vom verstümmelten Lucas aller genügenden Motivirung und Haltbarkeit. Cf. Ritschl. l. l. p. 65.

(2) Ritschl. l. l. p. 65. Baur, l. l. p. 396, 404 sq.

antur, inspiciendas tantummodo eas Euangelii Lucani partes dicunt, quas aut mutatas, aut prorsus non exhibuisse fertur Marcionis Euangelium. Etenim, quod vulgo accidere solet, ut, qui librum aliquem retractandum adjectionibusque cumulandum sibi sumserit, hic illic orationis seriem turbando consilium suum prodat accurate legentibus, idem quoque in Lucae Euangelio accidisse (1). Qua de re, ut nobis persuadeatur, in singulos inquirendum nobis erit locos, quos de industria a Marcione aut sublatos, aut interpolatos fuisse audivimus. Prius vero quam ad istam disquisitionem progrediamur, breviter de iis locis agamus necesse est, qui ex nonnullorum recentiorum opinione, in Marcionis

(1) Ritschl. l. l. p. 56: » Die Merkmale, wodurch sich Ueberarbeitungen zu erkennen geben, sind in den meisten Fällen Verstösse gegen den Zusammenhang mit den Abschnitten, zwischen oder in welche Anderes, Fremdartiges eingeschoben ist. Denn ein Ueberarbeiter, welcher nicht das Ganze neu reproducirt, sondern nur geringe Veränderungen und Vermehrungen anbringt, kann der Gefahr kaum entgehen, den Zusammenhang bisher gut geordneter Stücke ru zerreissen, oder einander widersprechende Stücke nebeneinander zu stellen." Quod deinceps probaturus, Ritschelius ad unum alterumve exemplum ex ipsis Euangeliis desumtum provocat. » Wenn es Z. B." — ita pergit p. 57 .— » bei Marcus IX. » 5. 6. in der Verklärungsgeschichte leisst: καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος » λέγει τῷ Ἰησοῦ· ῥαββὶ καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι, καὶ ποιήσω- » μεν τρεῖς σκηνὰς κ. τ. λ. οὐ γὰρ ᾔδει τί λαλήσῃ, ἦσαν γὰρ » ἔκφοβοι, so ist diese Begründung an diesem Orte nicht pas- » send. Der Schrecken über die Erscheinung der Männer des alten » Testaments wird doch den Petrus nicht zu einer Aeusserung sei- » nes Wohlgefallens darüber veranlasst haben. Es leuchtet ein, » dass jener Satz vielmehr aus Matth. XVII. 6 (ἐφοβήθησαν σφόδρα, » nämlich über die Himmelsstimme, wozu auch Grund da war) » vom Ueberarbeiter an jene Stelle versetzt ist." Vid. etiam Marc. XII. 34 coll. cum. Luc. XX. 40.

Euangelio defuisse injuria creduntur. Addemus porro alia pauca, cum de nonnullis, in quae Tertullianus et Epiphanius Euangelium hocce legentes offendisse videntur, calami vitiis, tum de diversis quibusdam, quas a Marcione usurpatas videmus, lectionibus, quasque hoc ipso titulo ad varietatum quidem, non vero ad controversiarum numerum, referri aequum est.

Quod *primum* igitur monemus, non omnes, quos in disputando praeteriit locos Tertullianus, iccirco etiam in Euangelio Marcionis defuisse censendi sunt. Multos eorum scilicet nullam aliam ob causam praetermissos cernimus, nisi quod ad refutanda Marcionitarum commenta ansam non praebere viderentur. *Sic* v. c. quod legimus Luc. IV. 36, 37: *καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· τίς ὁ λόγος οὗτος; ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι, καὶ ἐξέρχονται· και ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς πάντα τόπον τοῦ περιχώρου.* Quae verba dogmatico adspectu Marcione invisa esse nullo modo potuerunt, necessario autem requirebantur iis, quae vs. 23 sequuntur: *ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα εἰς Καπερναούμ κ. τ. λ.* (1).

Idem fere de VI. 32, 33 valet, ubi haec leguntur: *καὶ εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστι; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτοὺς ἀγαπῶσι· καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἔσται; καὶ γὰρ οἱ*

---

(1) Ritschl. l. l. p. 58 sq.

ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσι. Reticet, ut videtur, hosce vss. Tertullianus unice hanc ob causam, quod de vs. 34, quo eandem plane sententiam similibus fere verbis expressam legimus, sibi agere proposuerat. Ceterum orationis montanae indoli talis ejusdem sententiae crebrior repetitio ita conveniebat, ut nulli dubitemus, quin etiam ea, quae vss. 32, 33 leguntur, principio ad eam pertinuerint (1).

Neque porro aliter de sequentibus locis judicandum videtur: Luc. VIII. 40—42ª, 49—56, IX. 49, 50, X. 29—42, XII. 50, XIV. 1—11, ibid. 25—35, XVIII. 15—17, ibid. 28—30, XX. 45—47, XXI. 1—4 (2), XXIII. 27—31, ibid. 47—49 (ubi verba occurrunt centurionis: *ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν* (3) et *γνωστοὶ* Jesu memorantur (4)). Hos omnes locos, etsi silet eos Tertullianus, vel sic tamen in Euangelio Pontico exstitisse, res est dubitationi haud valde obnoxia, quocirca etiam missos eos facere nobis licebit, ubi de ipso, quod inter utrumque, tum Marcionis, tum Lucae Euangelium discrimen obtinet, agendum nobis erit (5).

---

(1) Ritschl. l. l. p. 59.

(2) Continetur his vss. narratio viduae pauperis, donum in aerarium conferentis, quam narrationem in Marcionis Euangelio defuisse putat Schweglerus (vid. supra), negat autem Ritschelius l. l. p. 61 sq.

(3) » Denn das Bekenntniss des Hauptmanns: *ὄντως κ. τ. λ.* hatte ja keinen dogmatischen Werth." Ritschl. l. l. p. 63.

(4) » Mit den *γνωστοὶ* Jesu waren ja keine Verwandten gemeint." Ritschl. l. l.

(5) Vid. de locis s. memoratis. Ritschl. l. l. p. 59—63.

Secundo loco de discrepantiis nonnullis breviter dicere constituimus, quibus Marcionis Euangelium a Lucae digestis diversum se prodidisse tradunt veteres, quarum vero origo aut e calami vitiis, aut e lectionis varietatibus, aut e simili causa repetunda videtur, quaeque igitur injuria vitiationum S. Scripturae loco cum ab antiquis, tum a recentioribus plerisque habitae sunt (1).

Pertinet huc Luc. V. 14, ubi legimus: *προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, καθὼς προσέταξεν Μωϋσῆς.* Secundum Tertullianum autem in textu Marcionis habebatur, quod Matthaeus parallelo loco (VIII. 4) exhibet: *προσένεγκε τὸ δῶρον ὃ προσέταξε Μωϋσῆς.* Rursus si Epiphanio auscultandum est, Marcion *ἀπέκοψε τὸ δῶρον* (2), quasi hoc vocabulo usus esset Lucas. Quod in hac re verum videtur, eo redit, Marcionem *τὸ δῶρον ὃ* in textum suum recepisse, sitne hoc e permutatione locorum parallelorum, an ita potius explicandum, ut statuamus, quod ex Epiphanii refutatione haud obscure apparet, in nonnullis Lucae exemplaribus verba ista antiquitus exstitisse (3).

Eodem porro vs. pro: *εἰς μαρτύριον αὐτοῖς* Marcion scripserat: *εἰς μαρτύριον ὑμῖν*, quod tamen unice lectionis varietati fuisse tribuendum, inde patet,

(1) Ritschl. l. l. p. 69.
(2) Adv. Haer. p. 322 (Refut. 1).
(3) » Eine dogmatische Bedeutung had diese Abweichung aber » nicht, da die parallelen Texte leicht mit ein ander vertauscht » werden konnten." Ritschl. l. l. p. 69. sq.

quod etiamnunc aliquot Lucae Codices illud ὑμῖν exhibent (1).

Ejusmodi variae lectiones occurrunt quoque VI. 17 (Luc. κατέβη μετ' αὐτῶν; Marc. ἐν αὐτοῖς); X. 21 (ubi Marc. non legisse fertur vocem: πάτερ); ibid. vs. 25 (quo loco eum vocem αἰώνιον sustulisse tradit Tertullianus); XI. 1 (ubi Marc. pro simplici προσευχόμενον habebat: προσευχόμενον τῷ πατρί); ibid. vs. 2 (ubi pro nostro: ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου scripsisse videtur: ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σου καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς (2)); XII. 8, 9 (Luc. ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ; Marc. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (3)); XII. 38 (Luc. ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ; Marc. ἐν τῇ ἑσπερινῇ φυλακῇ (4)); ibid. vs. 50 (Luc. καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ; Marc. καὶ τί θέλω εἰ ἤδη τετέληκα αὐτό (5)); XIV. 26 (Luc. καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ; Marc. οὐ καταλείπει (6)); XV. 10 (Luc. ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ; Marc. (ut XII.

(1) Ritschl. l. l. p. 70.

(2) » Wie bei Gregorius Nyssenus und Maximus Confessor. Dies ist offenbar die älteste ächte Lesart, auf die auch vs. 13: ὁ πατὴρ δώσει πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν zurückweiset." Ritschl. l. l. p. 71.

(3) » Diese Lesart findet sich auch in *einem* codex des Lucas, steht aber dem Matthaeus X. 32, 33 näher." Ritschl. l. l.

(4) » Eine Variante in vielen Handschriften des Lucas." Ritschl. l. l.

(5) » Die Markosier bei Irenaeus I. 21. 2 haben den Satz in der Form: καὶ πάνυ ἠπείγομαι εἰς αὐτό. Der Satz scheint sehr variirt zu haben." Ritschl. l. l. p. 72.

(6) » Dieselbe Variante findet sich auch bei Origenes." Ritschl. l. l.

8, 9): ἐνώπιον τοῦ θεοῦ); XVI. 12 (Luc. τὸ ὑμέτερον; Marc. τὸ ἡμέτερον τίς ὑμῖν δώσει (1)); ibid. vs. 13 (ubi a Marcione omissa videtur vox οἰκέτης, cf. Matth. VI. 24); XVII. 2 (ubi verbis: λυσιτελεῖ αὐτῷ εἰ μύλος ὀνικὸς κ. τ. λ. aliquid addidisse Marcionem exinde apparet, quod Tertullianus ejus verba hoc modo retulit: » expedisse ei *si natus non fuisset*, aut si molino saxo" etc. (2)); XXIV. 37 (Luc. ἐδόκουν πνεῦμα ἰδεῖν; Marc. φαντάσμα (3)).

Prout autem discrepantiae, quae hisce locis cernuntur, e variis, quibus Marcion usus est, lectionibus derivandae videntur, sic aliae nonnullae, ut diximus, calami vitio tribuendae sunt. Quo referas VI. 23 (πατέρες ὑμῶν pro πατέρες αὐτῶν (4)); XI. 42 (παρέρχεσθε τὴν κλῆσιν pro παρέρχεσθε τὴν κρίσιν (5)); denique XVIII. 20 (τὰς ἐντολὰς οἶδα (ut scripsit Epiphanius) pro: τὰς ἐντολὰς οἶδας) (6).

Atque sic jam ad eas Euangelii Lucae partes contemplandas progrediendum nobis restat, quas in codice

(1) » Variante τὸ ἡμέτερον in B. Orig." Ritschl. l. l.

(2) Dieselbe Variante: *ne nasceretur aut* in mehreren Codd. Vgl. auch Matth. XXVI. 24." Ritschl. l. l.

(3) » Lesart des Lucas in Cod. D." Ritschl. l. l.

(4) Ritschl. l. l. p. 70.

(5) Ritschl. l. l. p. 71.

(6) » Alle diese Fälle sind der Art, dass sie den Vorwurf der Verfälschung, welchen Epiphanius namentlich auf ihre Veranlassung erhebt, nicht begründen, und sind auch von den Kritikern seit R. Simon grossentheils ebenso angesehen worden." Ritschl. l. l. p. 73.

Marcionitico aut prorsus non aut saltem magis minusve dissimiles exstitisse satis certo affirmari licet, quarumque vel absentiae, vel discrepantiae ratio supra dictis haud explicatur. Sunt vero hae: Cap. I—IV. 16; IV. 16—37; ibid. 38 sq.; VII. 29—35; IX. 30; X. 12—15; XI. 29—32; ibid. 42; ibid. 49—51; XII. 6, 7; ibid. 33 sq.; XIII. 1—9; ibid. 29—35; XVI. 17; XVII. 7—10; XVIII. 31—34; XIX. 9; ibid. 29—46; XX. 9—18; ibid. 37 sq.; XXI. 18; XXII. 17—19; ibid. 23—30; ibid. 35—46; ibid. 49—54; XXIII. 39—43. De omnibus hisce locis valet, quod ex eorum, qui Marcionis partes agunt, ore tradidisse me memini, eos nempe interpolationum speciem atque colorem ita referre, ut dubitari nequeat, quin ad primitivam, quam aiunt, Lucae Euangelii ἔκδοσιν aut omnino non pertinuerint, aut saltem alio modo, eo ipso scil. quo apud Ponticum nostrum occurrisse videntur, in antiquiori illa editione se habuerint; quocirca Marcionem eos neque ut vulgo fertur respuisse, neque immutasse, sed hanc ob rem a lectione canonica hic illic recessisse, quod primitiva ista ἐκδόσει uteretur, haud injuria statuerimus.

Longum foret, latissimum, qui jamjam oculis nostris se offert, disputandi campum totum perlustrare. Universe monuisse sufficiat, Marcionis fautores inter singulos, quos excitavimus, locos, ita discernere consuevisse, ut alios aliis in demonstrando anteponant, alios ad explicandam comprobandamque ipsam conjecturam suam adhibentes, de aliis vero id saltem osten-

dere conantes, eos, etsi nexus rerum iis non turbetur, tali tamen modo esse comparatos, ut sine ulla cohaerentiae damno de media tolli possint oratione (1). Utriusque generis unum aliudve exemplum allaturi, quum optio nobis sit inter multos, illos primum locos spectemus, quos in Lucae cap. IV aut mutasse aut exinde sustulisse fertur Marcion. Novimus scilicet, eum inverso ordine, quae inde a vs. 16 usque ad vs. 37 habentur, ita legi jussisse, ut narratio rerum Capernaumi gestarum (vs. 31—37) antecederet illam, quae primam Jesu in Synagoge Nazarethana praedicationem (16—30) complectitur (2). Hunc ipsum vero ordinem fuisse, quem in narrando sequi oportuit Euangelii auctorem (3), patet ex iis, quae occurrunt vs. 23, ubi Jesus quasi ex Nazarethanorum ore haec protulisse verba legitur: ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα εἰς Καφαρναοὺμ, ποίησον καὶ ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου. Etenim spectantur hisce verbis miracula, jam prius a Conservatore Capernaumi patrata, quae tamen nondum patraverat, si rerum gestarum iste fuit ordo, ad quem Euangelium nostrum canonicum videmus compositum. Nam etsi IV. 14, 15 Jesum Galilaeam ἐν τῇ δυνάμει

(1) Ritschl. l. l. p. 73 sqq. p. 115 sqq. Baur, l. l. p. 398.

(2) Tertull. Adv. M. IV. 7. 8.

(3) Secundum normam nempe, ad quam conjecturae suae probabilitatem ipse Ritschelius exigi voluit, quamque hisce verbis adumbratam ab eo legimus: » Denn wir setzen voraus, dass der » Darstellung eines ersten Concipienten Ordnung und Harmonie, und » nicht etwa, wie Eichhorn meint, Ungeschiklichkeit und Unver- » ständlichkeit zuzutrauen ist." l. l. p. 58. Cf. Baur, l. l. p. 397.

τοῦ πνεύματος adiisse traditum sit, eum ista opportunitate non miraculis perficiendis, sed docendo et praedicando occupatum fuisse docemur vs. 15: καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων (1):

Porro vss. 24—27 in Marcionis Euangelio non exstitisse confitendum est. At cur non exstiterunt? Quia ejusdem cum iis, quae proxime praecedunt, auctoris nullo modo esse possunt. Sententiam vs. 24 a Conservatore enuntiatam: οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ; recte se habere Matth. XIII. 58, ubi paulo ante de Nazarethanis traditum fuerat, Jesu verba in summam offensionem incurrisse (καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ vs. 57), hoc autem loco, post ea quae vs. 22 habentur: καὶ πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ — minime recte se habere, ex parte jam observavit Wettius (2). Quae vero tum ab hoc, tum ab aliis interpretibus exinde desumta sunt contra ipsius narrationis veritatem historicam argumenta, ad omnes difficultates tollendas non sufficiunt. Ita demum sublatum has iri videmus, si quatuor de quibus agimus vss. de medio sustulerimus, quocirca haud exigua Euangelio Marcionis commendatio exinde accedit, quod ipsissimi illi vss. in eo non legebantur (3).

(1) Ritschl. l. l. p. 73 sq. Baur, l. l. p. 398.
(2) Exeg. Hdb. I. 2. p. 38.
(3) Ritschl. l. l. p. 74 sqq. Cf. Baur, l. l. p. 399.

Utrum ejusdem hujus Cap. IV. vss. 38 et 39 in codice Marcionis adfuisse an defuisse potius statuendum sit, ab Hahnio ceterisque, qui cum eo faciunt, vulgatae sententiae tutoribus in incerto relinquitur, etsi *illud* probabilius ducant (1). Contra, *hoc* esse ponendum, non tam ex silentio Tertulliani, quam e turbato orationis nexu nobis effici posse videtur. Scilicet, quae Matth. VIII. 14, 15 leguntur, intempestive huc esse translata, indicio sunt verba: διηκόνει αὐτοῖς (vs. 39). Quid enim? Parallelo, quem citavimus, loco Petri socrus ministrasse *iis* jure dici potuit, quandoquidem Jesus illic non *solus* occurrat, sed una cum eo *comitantes eum discipuli*, de quorum vocatione in antecedentibus sermo fuit (Cf. Matth. IV. 18 sq.; V. 1). Nostro autem loco necesse est, ejusmodi adjectio perquam inepta nobis appareat, reputantibus, electionem discipulorum ad Vtum demum Cap. pertinere, ut facilis sit conclusio, Jesum, si Lucae auctoritatem sequamur, ad hoc usque tempus, sine ullo viae comite urbes vicosque Galilaeae peragrasse. Conjici igitur, immo affirmari magna cum veritatis specie licet, ea quae Luc. IV. 38 sq. leguntur in hacce Euangelicarum rerum enarratione antiquitus non exstitisse, sed postero demum aevo ab auctore aliquo, qui Lucae Euangelium retractandum atque additamentis undecunque repetitis in-

(1) » Luc. IV. 36—39 werden von Tertullian nicht bestimmt erwähnt. In Marcions System liegt kein Grund, sie zu streichen, sie gaben aber dem Tertullian nicht Gelegenheit, den Irrlehrer daraus zu widerlegen; darum wohl blieben sie unerwähnt." Ita Hahnius, l. l. p. 137. — Cf. Thilo Cod. Apocr. p. 404.

struendum sibi sumserat, non vero locum, ad quem quidque referendum esset, anxie curabat, adjecta ei fuisse (1).

Exemplorum, quibus hucdum usi sumus, cum numerum tum pondus uno vel duobus tandem ex alia Euangelii nostri parte desumtis augere lubet. Parabolam nempe vinitorum perfidorum (Luc. (XX. 9—18) a Marcione non fuisse lectam, disertum est Epiphanii testimonium, comprobatur etiam silentio Tertulliani. Quodsi autem causam hujus rei quaerimus, non est, quod de responso laborent critici Tubingenses, etsi Hahnio nullo modo adstipulandum esse censeant (2). Enimvero parabolam, quam spectamus, totam quantam fuisse interpolatam, satis superque iis e vs. 19 apparere videtur. Legimus nimirum illic de Pharisaeis et legis divinae interpretibus in Jesum iratis: *καὶ ἐζήτησαν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτὸν καὶ ἐφοβήθησαν* (3), quae verba e Ritschelii aliorumque sen-

---

(1) Ritschl. l. l. p. 76 sqq. — Baur, l. l. p. 410.

(2) » Luc. XX. 9—18 konnten von Marcion nicht geduldet werden, weil darin von den frühern Offenbarungen Gottes und der letzten durch Christum zu deutlich geredet wird, was dem System Marcions ganz entgegen ist, nach dem sich der gute Gott, bevor sich Christus vom Himmel nach Kapernaum niederliess, nie offenbart hat, also auch keine Gesandte von ihm gestäupt und verwundet worden sind, auch Christus nicht mit den Propheten des Gottes des A. T. in einem Verhältniss zu denken ist, in welches er durch das Gleichniss (als *nach jenen*, seinen *Vorgängern*, kommend etc.) gestellt wird." Hahn, l. l. p. 196.

(3) Citavimus vs. prout se habet in Marcionis Euangelio. In nostro autem scriptum est; *καὶ ἐζήτησαν* (*οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς*) *ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας* (*ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ*) *καὶ ἐφοβήθησαν* (*τὸν λαόν*).

tentia optime cohaerent cum iis, quae vs. 8 habentur: οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ τοῦτο ποιῶ, multo vero minori jure locum suum tuentur sub finem fictae de vinitoribus narrationis, quippe quae neque unice neque imprimis Pharisaeos legisque peritos spectabat. Quod animadvertens auctor Canonici Lucae Euangelii de suo adjecit: ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην εἶπε (1). At hoc modo luculentius etiam, cetera omnia interpolata a se fuisse, testatus est. Verba ista enim iis, quae proxime praecedunt, tam inconsulto sunt adjecta, vel suspensa potius, ut primo obtuitu lector putet, hanc ob causam Pharisaeos legisque peritos iratos manus Jesus injicere voluisse, non *nisi*, sed *quia* populi metus eos a turpissimo illo consilio revocasset (2).

Marcionem quod legimus Luc. XXI. 18: καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται ademisse, auctor nobis est Epiphanius (3). At vero non ademit, etsi demonstrare conatus sit Hahnius, sententiam hoc vs. expressam Marcionis doctrinae parum conve-

(1) Quae verba, ipsa deficiente parabola, nullo modo a Marcione legi potuisse jure statuit Ritschelius, l. l. p. 102.

(2) » Jener Zusatz (ἔγνωσαν γὰρ κ. τ. λ.) hat also eine logisch falsche Stelle, und verräth dadurch, dass er erst an den schon vollendeten Satz nachlässiger Weise angefügt ist. Wir erkennen darin aber wieder den Ueberarbeiter, nicht aus dem Grunde, weil wir in dem ursprünglichen Evangelium absolute logische Genauigkeit voraussetzen, sondern weil es wirklich viel schwieriger ist, auf diese Weise unlogisch zu schreiben, als die Gedanken in der gehörigen richtigen Ordnung auszusprechen (vg. Z. B. Matth. XXI. 45. 46)." Ritschl. l. l. p. 102. — Baur, l. l. p. 402.

(3) Adv. Haer. p. 342 (Schol. 58).

nire (1). Sed enim ne dogmatico quidem sensu sunt accipienda, quae hoc loco proverbialiter dicta sunt. Quod a Pontico nostro non legebantur, hujus rei unica causa haec fuit, quod in primitiva Euangelii Lucae editione neque exstiterunt, neque ullo modo exstare potuerunt, quandoquidem orationis nexus ab omni parte repugnat. Pugnat scilicet vs. 18 cum iis, quae proxime (vs. 16 sq.) praecedunt: παραδοθήσεσθε καὶ ὑπὸ γονέων κ. τ. λ., καὶ θανατώσουσι ἐξ ὑμῶν καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων. Neque magis in pacem redigi cum iis potest, quae vs. 19 habentur: ἐν τῇ ὑπομονῇ κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν — quae verba ex contrario ita cum vs. 17 cohaerent, ut vs. 18 huc non pertinere omni dubio exemtum sit (2).

Postquam igitur nonnullorum speciminum ope vidimus, qualis secundum Tubingenses plurimorum locorum, quos de industria sustulisse fertur Marcion (3), ratio sit, superest ut paucis de iis dicamus, qui neque contextu, neque ipsorum sua indole interpolandi studium manifeste produnt, ad quorum absentiam igitur explicandam non valet conjectura Ritscheliana. Quod hos vero attinet locos, ostendisse satis agunt

(1) » Vs. 18 konnte nicht bleiben, weil das Haar zum Körper gehört und dieser nach Marcions System *vom guten Gotte* nicht behütet wird" l. l. p. 201.

(2) » Wiederum ein Beweis von der Ursprünglichkeit des Marcionitischen Textes." Ritschl. l. l. p. 105. Cf. Baur, l. l. p. 402 sq.

(3) De ceteris vid. Ritschelius l. l. p. 73—115. Baur, l. l. p. 397 sqq.

Baurus ejusque discipuli, eos *partim* non ita esse comparatos, ut interpolati esse nullo modo possint; *partim* hypothesin Hahnianam aeque minus ac eam, quam ipsi tuiti sunt, causam explicuisse, cur in Marcionis Euangelio non exstiterint.

Primo nobis de hujus Euangelii exordio agendum est. Haud mirum profecto, vulgo et quam maxime ad illud exordium eo consilio provocari, ut de criminis Marcioni imputati sive veritate, seu probabilitate unicuique persuadeatur (1). Habet enim quod miremur repentinus ille modus, quo rerum Jesu enarratio, quam Marcionitae sequebantur, iis quae Luc. IV. 31 legis incepisse traditur, praemissa tantum temporis *definitione*, quae III. 1 occurrit. Verumenimvero, quod minime omittendum hac in re videtur, nulla causa est, cur abstineamus conjectura, inopinatum istud exordium non Marcioni sed ipsi primitivo Euangelii Lucae auctori esse tribuendum. Immo non desunt indicia, quorum ope, auctorem illum tale quid sibi voluisse suspicari nobis licuerit. Quo pertinent universe ea, quae ad amplificandam divinam Jesu majestatem atque potestatem continuo narrantur: *καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ* (vs. 32); *καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· τίς ὁ λόγος οὗτος, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασιν καὶ ἐξέρχονται;* (vs. 36). Tum quae legis vs. 30, ubi mortis periculo, a civibus

(5) Vid. supra p. 27 sq.

sibi imminente, divino plane modo sese eripuisse narratur Jesus hisce verbis: καὶ διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν ἐπορεύετο. Animadvertendum porro, priora Lucae capita non ita multum habere, quo ad conjecturam Hahnianam amplectendam suadere videantur. Quidquid sit, eodem jure quo vulgo statui solet, e re Marcionis fuisse ut tollerentur ista capita, statuere quoque licet, recentiorem quendam auctorem e re sua duxisse, ut Lucae Euangelium capitibus illis augeretur (1).

Qui denique spectandi nobis supersunt loci, et pauci sunt numero, et nullam fere nobis disputandi ansam praebent. Sunt autem hi quinque: Luc. XIII. 1—9 (narrationem exhibens de Galilaeis a Pilato occisis); XV. 11—32 (quo loco parabola de filio deperdito continetur); XVII. 7—10 (Jesu sectatores δούλοις ἀχρείοις aequiparantur); XVIII. 31—34 (mortem suam prope imminentem Jesus annuntiat, provocando simul ad V. Testamenti vaticinia); XXII. 49—51 (ubi Petrus, Jesum defendendi causa, gladium strinxisse narratur). Locos hosce a Marcione ideo sublatos fuisse, quod cum dogmaticis suis placitis pugnare sibi viderentur, Hahnius contendit quidem, sed, ut jam supra vidisse nos meminimus (2), nulla probabili usus ratione, quandoquidem, quod ipse haud facile negaverit, alii praeter hos multi in Marcionis Euangelio occurrunt loci, qui, ut ejusdem plane sunt generis, ita simul cum iis, de

(1) Baur, l. l. p. 406 sq. 502 sq. Cf. Ritschl, l. l. p. 292 sqq.
(2) Vid. p. 77 sqq.

quibus nunc diximus, eradendi fuissent, si tali adulterandi studio haereticum obtemperasse jure quodam statui posset. Quocirca etiam de hisce locis affirmare haud magnopere veremur, quod de ceteris omnibus satis certo constare vidimus, illos scilicet ob nullam aliam causam, in Euangelio Pontico defuisse nisi hanc, quod Marcioni prorsus non innotuissent. Neque enim a primis inde temporibus in libro, cui Lucae nomen inscriptum est, canonico, eos exstitisse, sed postero demum aevo ab eodem ei additos esse auctore, cui etiam reliquae, quas tractavimus interpolationes, tribuendae sunt, veresimile est (1).

§. IV.

Marcionis ergo ad ipsius, quod secundum Lucam est, Euangelii rationem formamque provocatur.

Postquam sparsorum Euangelii Marcionitici membrorum contemplatione, quid de ceteris Lucae partibus cogitandum sit, nos admonuerint, utraque haec scripta, quod mentem indolemque attinet, inter se comparare instituunt critici Tubingenses, quo magis nobis persuadeant, revera nonnisi a secundario quodam auctore interpolata fuisse, quae erasisse absque ulla idonea causa Marcion culpatur.

In universum scilicet de canonico Lucae Euangelio

(1) Ritschl. l. l. p. 115 sqq. — Cf. Baur, l. l. p. 406.

fere judicarunt viri docti inter recentiores, referre illud partim paulinam mentem, partim antipaulinam s. ebioniticam; diversas autem hasce sentiendi rationes proprio quodam modo in eo ita permixtas occurrere, ut auctor quasi medius inter illas esse sive neutram partem adjuvare voluisse videatur; simul tamen apparere, illud primum quidem ex Pauli mente fuisse conscriptum, deinde vero compluribus additamentis ebioniticis eo consilio esse auctum, ut omnibus, tum qui a Pauli, tum qui a contrariis partibus stabant, aeque satisfieret (1). Quodsi ita est, quaestio, quam de Marcionis Euangelio motam videmus, facilius etiam resolvitur. Immo Euangelii Lucani origo sic demum explicatur ab omnique parte quasi luce perfunditur. Exstitisse enim antiquitus videtur liber aliquis, ab uno aliove Pauli s. discipulo, sive fautore profectus, quo rerum Jesu illae praesertim enarrabantur, ad quarum indolem Pauli doctrina quam maxime esset composita. Hoc ipso igitur libro Marcion fuerit usus. Eundem vero post eum alius quidam arripuisse ejusque formam mutavisse videtur, admiscendis ei nonnullis, quae hunc in finem undecunque repetivisset, quorum autem propositum hoc imprimis esset, librum paulina mente conscriptum etiam Pauli adversariis commendare, simulque cavere, ne e librorum similitudine ad Pauli doctrinam cum Marcionitarum placitis confundendam

(1) Schwegler. N. Z. II. p. 39. — Baur, l. l. p. 502. — Ritschl. l. l. Cf. quae scripsi in Diario: Jaarb. v. wetenschapp. Theol. V. 2 p. 314 sqq.

ansam quis sumeret. Discrepantias, quae Marcionis inter et Lucae Euangelium intercedunt, sic optime explicari nobis patet, simul ac locos, quos inter se differre vidimus, propius intuemur. Distinguuntur autem hi in quinque potissimum classes, quarum *prima* eos complectitur locos, qui colorem quodammodo referunt antimarcioniticum; *secunda* eos, quibus Pauli discipulum auctor semetipsum prodit; *tertia* eos, qui, toto coelo ab his diversi, in Judaistarum gratiam adsumti sunt; *quarta* eos, unde patet auctorem in conscribendo, vel consarcinando potius, Euangelio suo religiosas istorum temporum partes spectavisse; *quinta* denique eos, quos nullo alio consilio ceteris adjecisse videtur auctor, nisi ut eo plenior atque consummatior fieret historia, quam scriptis mandare sibi proposuerat (1).

Ad primam classem jam quodammodo referendum putat Ritschelius, quod exstat Luc. I. 4: *ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν*, quibus scilicet verbis Marcionis Euangelio *certitudinem* abnegare, suo contra vindicare videtur (2). Porro IV. 16 verba: *ὃυ ἦν τεθραμμένος*; VIII. 19—21, ubi omissam videmus quaestionem Conservatoris: *τίς ἡ μήτηρ μου, καὶ τίνες οἱ ἀδελφοί μου*; omissam dici-

(1) Baur, l. l. p. 506 sq. — Cf. quae hac de re scripsit Ritschelius in diario: Theol. Jahrbücher 1847. 2. p. 293.

(2) »Wenn wir dies annehmen dürften, so wäre erklärt, warum der kirchliche Bearbeiter gerade jenes von Marcion gebrauchte Evangelium seiner Schrift zu grunde legte, das in seinen Augen der ἀσφάλεια mangelte, die er ihm dadurch verlich, das er es zum Gebrauche Marcions untüchtig machte." Ritschl. l. l. p. 278.

mus, quia Matthaeus (XII. 46) eodem orationis nexu eam retulit, neque alia causa excogitari potest, cur aliter a tertii Euangelii auctore factum sit, nisi haec, quod Marcionitae ad quaestionem supra laudatam provocare solebant, ut Jesum neque matrem, neque fratres revera habuisse ipsius verbis comprobarent (1); X. 21 adjectio: καὶ τῆς γῆς; X. 22, ubi lectionem, quam unice veram ideoque primitivam habere multa nos suadent: οὐδεὶς ἔγνω, τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱὸς κ. τ. λ. cum ea, quae nunc in codicibus exstat, commutatam eo consilio videmus, ut locus hicce gnosticorum, Marcionitarum imprimis, de Deo ignoto commentis favere desineret (2). XVI. 17 mutatio verborum: τῶν λόγων μου in: τοῦ νόμου (3); XX. 35, ubi eandem ob causam in textu nostro desiderantur verba: ὑπὸ τοῦ θεοῦ post: καταξιωθέντες; XXII. 3, ubi de suo adjecit Lucae auctor: εἰσῆλθε δὲ σατανᾶς εἰς; XXIV. 25, ubi pro: ἐλάλησεν ὑμῖν legi jussit: ἐλάλησαν οἱ προφῆται; ibid. vss. 27 et 32, ubi de apertis a Conservatore V. Testamenti scriptis sermo est; tandem vss. ejusdem hujus capitis 44—46 quorum inserendorum simile fuisse videtur propositum (4).

Ad *secundam* classem omnes pertinent loci, in qui-

---

(1) Baur, l. l. p. 507. — Ob eandem causam ab auctore nostro addita esse, quae vs. 19 habentur, docet nos Ritschelius l. l. p. 281.

(2) Baur, l. l.

(3) Baur, l. l. p. 508.

(4) De omnibus hisce locis vid. Ritschl. l. l.

bus aut Pauli de condonatione peccatorum, de operibus non meritoriis, de aliis similibus doctrina traditur, ut Luc. XV. 11—32, XVII. 7—10; aut ex ipsorum Judaeorum incredibilitate causa repetitur, cur Euangelium exteris gentibus annuntiatum sit, ut: XIII. 1—9, 15, 28—30, 34, 35. XIX. 41—44 (1).

Tertia classis imprimis historiam natalium, pueritiae, baptismatis, tentationis Jesu complectitur (Luc. I—IV. 16) (2); porro narrationem de Conservatore triumphantis instar Hierosolyma intrante; omnes denique locos, quibus V. Testamenti vaticinia respiciuntur (3).

Ad *quartam* classem iidem quodammodo pertinent loci, quos ad *secundam* referendos esse vidimus. Imprimis vero huc in censum venit ficta de filio degenere ad patrem redeunte narratio, qua controversias spectari, quae Judaeos inter et gentes de regno divino intercesserunt, nuper observatum est (4). Nec non

---

(1) Baur, l. l. p. 508. — Ritschl, l. l. p. 281 sq.

(2) De qua historia cf. Baur, l. l. p. 503 sqq.

(3) Observavit Ritschelius a IV[to] usque ad XXIII[um] Luc. Cap. formulam πληρωθῆναι τὴς γραφὴν, vel similem talem nonnisi ter occurrere, locis autem, quos aut immutatos aut interpolatos esse vix dubitari potest, scili: IV. 21. XXI. 22. XXII. 37. Qua observatione nixus, de formula ista hanc sententiam tulit: » Sie » erscheint daher als schriftstellerische Manier des Ueberarbeiters." l. l. p. 118. Cf porro Baur, l. l. p. 508 sq.

(4) Et primum a Zellero in Annal. Theol. 1843. p. 81 sq. — Dein a Schweglero, l. l. II. p. 47 sq. et Ritschel. l. l. p. 282 sq. — Cf. quae scripsit Baur, l. l. p. 510: » Was aber für die Parabel ganz besonders charakteristisch ist, und so klar die Verhältnisse der spätern Zeit vor Augen stellt, ist die neidische, scheelsüchtige Gesinnung, welche der ältere Bruder gegen den, wie er klagt, von dem Vater bevorzugten jüngern an den Tag legt.

de iisdem hisce controversiis explicanda videantur, quae Euangelium Lucae de duobus latronibus habet, juxta Christum e cruce pendentibus, quaeque, ut vera esse vix ullo modo possunt, ita gentium commodis providendi studium satis manifesto produnt (1). Porro quae de duabus Lazari sororibus tradita invenimus X. 38—42, quarum una quasi operibus, altera fide Conservatori se gratam reddere studet, haud sine jure ad eandem hancce classem referas, etsi narrationis istius veritas historica in dubium vocari non satis justo possit (2).

Postremo veniunt illi loci, quos nullo alio consilio ceteris adjecisse auctorem diximus, nisi ut eo plenior

---

Wer sieht hier nicht das aus dem Römerbrief bekannte Benehmen der Judenchristen gegen die Heidenchristen und das paulinische Christenthum?" Et porro p. 511: » Dem Riss zu begegnen, welcher durch das misstrauische und missgünstige Benehmen der Judenchristen in die erst sich bildende Gemeinschaft zu kommen drohte, dies war das Bestreben des Apostels im Römerbrief." » Dasselbe Interesse musste man in der Folge haben; nur wenn die gleiche Berechtigung beider Theile anerkannt war, konnten beide zur Einheit einer Kirchlichen Gemeinschaft sich zusammenschliessen. Auf die Gleichstellung beider Theile zielten jene irenischen, conciliatorischen Bestrebungen hin, wie wir sie besonders aus der unserem Evangelium so nahe verwandten Apostelgeschichte kennen. In welchen anderen Sinne kann es daher genommen werden, wenn der Vater in der Parabel den über seine vermeintliche Zurücksetzung unzufriedenen Sohn mit den Worten beruhigt: τέκνον σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ κ. τ. λ. Alle diese Züge haben, mit den Verhältnissen der spätern Zeit zusammengehalten, eine so concrete Wahrheit, dass die Parabel, wenigstens in der Form, in welcher wir sie hier haben, nur aus ihnen hervorgegangen seyn kann."

(1) Ritschl. l. l. p. 284 sq. — Baur, l. l. p. 512. — Schwegler, l. l. p. 50 sq.

(2) Schwegler, l. l. p. 52 sq.

atque consummatior existeret historia, quam scribere instituerat. Ordinem horum ducit Euangelii introitus (Luc. I—IV. 16), quo non hoc solum propositum sibi habuit auctor, Judaistis placere, sed comprobare etiam, se quod ipse ait (I. 3) *πᾶσιν ἄνωθεν ἀκριβῶς καθεξῆς παρηκολουθηκέναι* (1). Sequuntur alii multi loci, quos universe ita comparatos videmus, ut desumtos eos esse e Matthaei Euangelio affirmari liceat, inter quos tamen hoc discrimen obtinet, quod alii ad verbum cum iis consonent, quae locis parallelis apud Matthaeum exstant (cl. Luc. X. 13—15 cum Matth. XI. 21—23; Luc. XIII. 34, 35 cum Matth. XXIII. 37—39; Luc. VII. 31—35 cum Matth. XI. 16—19); alii non ad verbum, sed ad sensum, ita vero ut non omni dubio exemtum sit, utrum e Matthaei Euangelio an aliunde potius interpolandi materiam auctor noster hauserit (cf. Luc. VII. 29, 30 cum Matth. XXI. 32; Luc. XI. 48—51 cum Matth. XXIII. 30—36; Luc. XXI. 21 sq. cum Matth. XXIV. 16 e. s. p.) (2).

---

(1) Ritschl. l. l. p. 292.

(2) Ritschelius, (l. l. p. 286) insuper ab his distingui vult satis multos locos, quos ex Euangelio Matthaei — prout saltem nunc se habet — oriundos esse, secundum eum negemus necesse est; in quorum numerum refert: Luc. IV. 38, 39. cl. Matth. VIII. 14, 15; Luc. XI. 29—32. cl. Matth. XII. 39—42; Luc. XI. 42. cl. Matth. XXIII. 33; Luc. XII. 6, 7. cl. Matth. X. 29—31; Luc. XII. 33, 34. cl. Matth. VI. 19—21; Luc. XVIII. 31—34. cl. Matth. XX. 17—19; Luc. XIX. 29—38. cl. Matth. XXI. 1—9, Luc. XIX. 45, 46. cl. Matth. XXI. 12, 13; Luc. XX. 9—18. cl. Matth. XXI. 33—44; Luc. XX. 37, 38. cl. Matth. XXII. 31, 32; Luc. XXII.

lis, quae de Euangelii Lucani ortu hucusque disputata sunt, haud parva denique ex aliis quibusdam argumentis auctoritas accedit. Ubi enim eas, quas Marcion sustulisse fertur, partes per se spectandas sumseris, in plura offendes indicia, quae seriorem earum originem manifesto contestentur.

Hujus generis omnes sunt loci, quibus auctorem nostrum Matthaei Euangelio usum fuisse modo probavimus, imprimis quod exinde luce clarius patere videatur, ejus aetate Euangelium hocce jam in ipsam illam, qua ad nos pervenit, formam fuisse redactum (1). Insignis quoque momenti sunt, quae Christus XI. 49 enuntiasse traditur: διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ θεοῦ εἶπεν· ἀποστελῶ κ. τ. λ. Etenim σοφίαν illam τοῦ θεοῦ de ipso Christo, suametipsius effata aliunde, ut videtur ex Euangelio Matthaei (XXIII. 34), citante intelligendam esse, omni dubio vacat. Ejusmodi vero scribendi vitium nonnisi seriori demum aetate committi potuisse, nihil opus est ut demonstremus (2). Quod autem primo omnium loco citasse merito nos oportuerat, ipsum est Euangelii proöemium, quo seriori demum aetate se vixisse auctor luculentissime testatus est. Immo quot verbis illud proöemium constat, tot fere argu-

49—51. cl. Matth. XXVI. 51—54. Cf. tamen, quae ad eum refellendum scripsit Baur, l. l. p. 513.

(1) Baur, l. l. p. 516.

(2) » Offenbar weist nun aber diese Thatsache, dass sich in unserem Evangelium ein unzweideutiges Citat eines ältern Evangeliums findet, das erstere einer ziemlich spätern Zeit der Evangelischen Schriftstellerei zu". Schwegler, l. l. II. p. 72.

menta exinde depromi licet, quibus de hujus rei veritate firmiter nobis persuadeatur. Quo pertinet, quod ipse se distingui ab iis vult, qui ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου fuerunt, ab Apostolis non solum igitur, sed ab iis quoque, qui, ut Marcus et Lucas, Apostolorum in praedicando adjutores sese praestiterunt; pertinet vero imprimis, quod distingui etiam vult a τοῖς πολλοῖς, qui ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, quum facilis inde conclusio sit, jam satis amplam scriptorum euangelicorum copiam auctoris nostri temporibus exstare debuisse; quumque, quod haud minoris ponderis hac in re videtur, exinde quoque probabilius fiat, eum, praeter Matthaei et Marci Euangelia, etiam id quod Marcionis vocatur, et Apostolorum insuper Acta scripta reperisse. Ceteroquin, quomodo de πολλοῖς, qui διήγησιν Euangelicam ἀνατάξασθαι ἐπεχείρησαν sermo ab illo fieri potuisset, nisi plura duobus istis Matthaei et Marci Euangeliis scribendo respexisset? Quomodo autem, si plura, non Marcionis imprimis respexisset, quum tamen, si alia multa praeter hocce jam tunc temporis exstitissent, permirum sane foret, nullam eorum notitiam ad nos pervenisse? Difficultas haecce, uti videtur, nisi tollitur, minuiter saltem, si statuamus, quod summa simul ac quasi fructus totius hujus disputationis est, Marcionem vetustiori quodam Euangelio usum fuisse, quod deinde pluribus additamentis auctum in eam tan-

dem formam increvit, qua Euangelium, quod Lucae nomen accepit, ad nostram aetatem perlatum est (1).

---

(1) Cf. Baur, l. l. p. 516 sqq. Etiam Schweglerus scripsit: » Der Prolog des Evangeliums, der schon eine Vielheit evangelischer Vorarbeiten (πολλοὶ ἐπεχείρησαν) und das Vorhandensein einer ausgebildeten apostolischen παράδοσις voraussetzt, deutet auf eine spätere, der apostolischen ziemlich fernen Zeit. Denn innerhalb des apostolischen Zeitalters konnte von einer grössern Anzahl schriftlicher Evangelienversuche keinenfalls schon die Rede seyn." l. l, II. p. 72.

PARS TERTIA.

IN QUA, QUAE HUCUSQUE IN DIVERSAS PARTES DISPUTATA SUNT, INTER SE COMPONUNTUR, PONDERANTUR, DIJUDICANTUR.

Argumentorum, quae contra Marcionem ab adversariis ejus in medium proferri solent, seriem in hujus opusculi parte prima perlustravimus. Quibusnam armis alii eum tueri, hostiumque ejus, cum veterum, tum recentiorum turbam profligare conati sint, pars secunda nos edocuit. Jam, si fieri potest, uter pugnantium palmam tulerit, definiendum nobis superest. Quod, quum suscepti officii pars sit nec levissima, nec facillima, pensum, quaeso, nostrum absolvisse nos putet benevolus lector, non si rem prae multis impeditam undique collustrasse et extra omnem dubitationem posuisse, sed si, quid utrinque peccatum sit, sine ira et studio indicasse, causamque satis idoneam cur alterutri rixantium adsentiendum putemus, attulisse aliquomodo nobis successerit.

§. I.

Quaeritur, quid hac in re ex veterum testimoniis satis certo effici liceat?

Qui igitur Marcionem culpandum censent, *primo loco* ad communem veteris ecclesiae sententiam pro-

vocant. Quod frustra ab iis fieri, alii hanc ob rem contendunt, quia perexigua aut nulla prorsus fide digna sit illa sententia. Nec profecto ii sumus, qui traditionis ecclesiasticae auctoritatem pluris quam par est faciamus; neque per nos non reprehendere licuerit Hahnium, et quotquot ejus vestigiis insistere videmus, ob nimiam fiduciam, qua, Tertulliano, Epiphanio, Pseudorigenianique Dialogi auctore ducibus, ipsum Marcionis Euangelium describere aggressi sunt. At hoc non impedit, quominus plura esse statuamus, quae satis certo e veterum testimoniis colligantur, quaeque ob vim, quam in litem Marcioniticam dirimendam exserunt, attentione nostra sane haud indigna sint. De his igitur paucis videamus.

Ac *primum* quidem jure inter omnes constat, Euangelium Marcionis, de quo sermo est apud scriptores ecclesiasticos, non ita cum ejusdem Antithesibus esse confundendum, ut aliquando a Paulo V. Cl. *Heidelbergensi* factum est, qui separatim illud exstitisse negavit, nec nisi Lucae quibusdam partibus, hic illic in opus laudatum insertis, constitisse, acutius quam verius contendit (1). Enimvero quam certissime Euangelium illud separatim exstitit, ut vel exinde patet, quod omnes omnino veteris ecclesiae doctores Marcionis inter Antitheses ejusque Euangelium probe distinxerunt (2).

---

(1) Theolog. Exegetisches Conservatorium I. p. 116 sqq.

(2) Sic v. c. Tertull. (adv. M. IV. 1): » ut fidem" inquit, » illi (i. e. Euangelio suo) instrueret, dotem quandam commentatus est illi, opus ex contrarietatum oppositionibus, Antithesis cognomina-

Quod *porro* formam hujus Euangelii attinet, ea, quae continebat, a Lucae digestis fere non diversum erant. Quin tanta inter utrumque librum fuit similitudo, ut unum ex altero fluxisse omni dubio exemtum sit (1). Marcionis autem Euangelio plura defuisse, quae in nostro leguntur, nonnullosque locos in eo aliter se habuisse, ut a veteribus diserte traditur, recentiorum communis est sententia. Neque tamen illud, etsi multo brevius, Lucae quasi compendium jure vocaveris; siquidem compendiorum est, praecipuarum rerum enarrationem, arctioribus modo finibus descriptam, continere. Hoc enim vel maxime sibi proprium habebat, quod, quum in ceteris Lucae Euangelio ad verbum fere consonaret, passim aliquot versus, subinde tota capita, in illo desiderabantur (2).

Quodsi *tertio loco* quaerimus, undenam in tanta librorum similitudine ejusmodi discrimen explicandum sit, ab antiquissimis, simulque gravissimis testibus respondetur nobis, Marcionem id quod est secundum Lucam Euangelium » circumcidisse" s. » decurtasse" (3);

tum." Cf. Hahn, l. l. p. 105 sqq. 114 sqq. Ritschl. l. l. p. 17 sq. et quae de Marcionis Antithesibus docte disputavit Rhode, l. l. p. 7 sqq. — Neque etiam omittendum est, quod v. c. Tertull. monet, Euangelium Marcionis peculiares suas habuisse ecclesias (adv. M. IV. 5).

(1) Olshausen, l. l. p. 190.

(2) Optime cognoscitur Euangelii Marcionitici forma ex hisce Epiphanii verbis (Ed. Petav. T. I. p. 311): ὁ μὲν γὰρ χαρακτὴρ (hujus libri) τοῦ κατὰ Λουκᾶν σημαίνει τὸ Εὐαγγέλιον, ὡς δὲ ἠκρωτηρίασται, μήτε ἀρχὴν ἔχων, μήτε μέσα, μήτε τέλος, ἱματίου βεβρωμένου ὑπὸ πολλῶν σητῶν ἐπέχει τὸν τρόπον.

(3) Irenaeus adv. haer. I. 27.

eum » exerto et palam machaera, non stylo esse usum, » quoniam ad materiam suam caedem scripturarum » confecit" (1), » erasisse eum contraria quaeque sen- » tentiae suae, competentia autem reservasse" (2); denique eum Lucani Euangelii non solum *τὴν ἀρχὴν ἀποτεμεῖν*, sed etiam *τοῦ τέλους καὶ τῶν μέσων πολλὰ περικόψαι τῶν τῆς ἀληθείας λόγων· ἄλλα δὲ παρὰ τὰ γεγραμμένα προσθεῖναι* (3). Num vero fidem his habebimus? Non licere clamant nonnulli recentiores. Quorum tamen argumentis ac rationibus sequentia, qualiacunque tandem, opposita velim, ut a limine inde disputationis nostrae manifesto nobis pateat, non deesse saltem, quae ecclesiasticam traditionem tuendam suadeant.

Quod enim a Ritschelio observatum videmus (4), *tota de qua agitur res* duabus hisce absolvitur quaestionibus: 1. num ipse Marcion se, quod testatur Tertullianus, Lucani Euangelii emendatorem professus est? 2. num liber iste ea, qua in Canone exstat, forma illi innotuit?

Priorem harum quaestionum soluturi, cum Ritschelius, tum Schweglerus aliique qui cum iis faciunt, ad ambiguam vocis *Euangelii* significationem provocant. Concedunt quidem Marcionem ipsum se » emendatorem euangelii a Tiberianis usque ad Anto-

(1) Tertull. de Praescr. adv. Haeret. C. XXXVIII.
(2) Idem adv. Marc. IV. 6.
(3) Epiphan. l. l. I. p. 319.
(4) l. l. p. 23.

niniana tempora eversi" (1) cognominari voluisse. At intelligi hoc jubent non de rerum Euangelicarum quacunque tandem enarratione, sed de doctrina Euangelica, s. de fide Christiana (2). Neque sane est, cur vocem illam variis locis varie explicari posse negemus (3). Animadvertendum autem est *primum*, explicationem istam nullis omnino difficultatibus premi, ubi Tertullianum hisce claris ac disertis verbis ad ipsius Marcionis testimonium provocare audimus: » si enim » id Euangelium, quod Lucae refertur penes nos, ip» sum est, quod Marcion per Antitheses suas arguit, » ut interpolatum a protectoribus Judaismi" rellq. (4). *Secundo loco* rogamus, undenam igitur Marcion corruptam s. interpolatam esse doctrinam Euangelicam probaverit, nisi e scriptis, quae inter aequales suos circumferebantur, euangelicis? *Denique* non omittendum videtur, quod veteres, Irenaeus imprimis et Tertullianus monuerunt, Marcionem *dogmaticis* rationibus ad intercidendam et interpolandam S. Scripturam fuisse adductum. Quodsi enim nobiscum reputemus Euangelium Ponticum ita comparatum fuisse,

---

(1) Quo titulo ironice ornatur a Tertull. adv. M. IV. 4.

(2). Ritschl. l. l. p. 24 — Cf. etiam Rhode, l. l. p. 9.

(3) Immo potius ad variam hancce ejusdem vocis significationem provocari a nobis posse videtur, ut causa indicetur, cur Tertull. Marcionem nonnunquam dicta quaedam de Euangelio erasisse accuset, quae apud Matthaeum quidem, non vero apud Lucam occurrunt. Cf. Olshausen, l. l. p. 134.

(4) Adv. Marc. IV. 4. — Num casu factum sit, Ritschelium l. l. dictum hocce Tertulliani ita citasse, ac si verba: » quod Lucae refertur penes nos, ipsum est" apud eum non legerentur?

ut, Marcionis placita vel exinde refellere, ipsis illis ecclesiae doctoribus facile videretur negotium, nescio an tale consilium adversario suo tribuissent, nisi hic in Antithesibus suis, Euangelia quibus utebatur ecclesia simul cum doctrina, quae iis spargebatur, purganda esse ipse antea docuisset. Alioquin quomodo scripsisset Tertullianus, quae jam saepius laudavimus verba (adv. Haer. IV. 6): » certe propterea contraria quaeque sententiae suae erasit, conspirantia cum » Creatore, quasi ab assertoribus ejus intexta; compe» tentia autem sententiae suae reservavit," — quum mox affirmare sibi posse videretur, ea, quae in Codice Marcionitico machaeram evitassent, nonnisi » haereticae » caecitatis vitio" servata esse? Collatis his dictis patere opinor, Tertullianum non proprium suum dedisse judicium, quoties Marcionem » ad materiam suam » caedem scripturarum confecisse" tradidit, sed respexisse ipsius Pontici de eradendorum multorum locorum necessitate, prout eam ex Antithesibus » Euangelio praestructis" (1) cognoverat.

Arcte autem haec quaestio cohaeret cum altera illa: utrum Lucae Euangelium, ea qua in Canone nostro exstat forma, Marcioni innotuisse censendum sit? Cui ita respondet Ritschelius ut statuat, e Tertulliani effatis hoc neutiquam probari posse (2). Provocatur quidem ab Hahnio (3) cum ad alia, tum ad haecce

(1) Tertull. adv. Marc. IV. 6.
(2) l. l. p. 29 sqq.
(3) l. l. p. 235.

Episcopi Carthaginiensis verba (adv. Marc. IV. 4): »Ego » Marcionis (Euangelium) » affirmo adulteratum, Marcion » meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis » ratio, ei praescribens auctoritatem quod antiquius re- » perietur et ei praejudicans vitiationem quod posterius » revincetur." Verumenimvero omnem hisce verbis probandi vim abjudicandam esse, exinde sequi videtur Ritschelio, quod *euangelii* vox etiam h. l. de *fide catholica* accipienda sit; ipsum Marcionem saltem nullam aliam rem cogitasse, etsi Tertullianus ejus verba ita intellexerit, ac si de libro quodam adulterato locutus esset. Ejusmodi vero responsum adsensum meum non referre, vix opus est ut dicam. Scilicet, quod supra me rogasse memini, jam denuo rogatum velim, undenam igitur Marcion corruptam esse *doctrinam* Euangelicam probaverit, nisi e scriptis, quae inter aequales suos catholica auctoritate gaudebant, euangelicis? Quodsi autem ad scripta ista provocaverit, necessario quoque haec illi innotuisse censenda erunt. Certe non in culpam verti poterit Tertulliano, quod vocem *euangelium* alio accepit sensu, quam quo Marcionem illam usurpasse recentiores nonnulli suspicantur (1), quum hunc ipsum, una cum doctrina, etiam libros adulteratos cogitasse omni omnino dubio vacet.

At sic quidem apparet, unam aliamve aut plures simul Euangelicarum rerum enarrationes, non vero ipsa

(1) *Suspicantur* ajo; nam quonam historico argumento opinionem suam tuentur?

Lucae digesta Marcioni innotuisse. Quod tamen iis, quae supra dicta sunt, haud parum verosimile redditur. Etenim, si Marcion non solum doctrinam catholicam, sed libros quoque eam continentes falsi accusasse aestimandus sit, quidni etiam fidem habebimus Tertulliano docenti, Marcionem: » id Euangelium, » quod Lucae refertur penes nos, in Antithesibus suis » arguisse ut interpolatum a protectoribus Judaismi?" Quid saltem causae est, cur de alio potius aliisve scriptis documentis cogitemus, plane ac si certissimis historicis argumentis aliunde constaret, Marcionis aetate Euangelium Lucanum nondum exstitisse? Quid? quod, nisi hac de re amplius dubitare nequeamus, magna cum veritatis specie cogitasse nobis videamur de tali libro, qui multis nominibus conformis illi esset, ad cujus normam ceterorum fidem explorari voluit ipse Marcion. Finge modo, eum Lucae Euangelium ob oculos habuisse et statim intelliges, cur eum hoc vel maxime infestare oportuerit, id prae ceteris adulteratum et interpolatum vocare, ne scilicet ipse, et qui cum eo parte duntaxat hujus Euangelii utebantur, ejusdem criminis rei viderentur.

Quod ceterum confitemur, Lucam nostrum Marcioni innotuisse, certis rationibus e Tertulliani scriptis effici nequit, simulac verborum, quibus id diserte ab illo enuntiatum legimus vim infringendam et nihili plane faciendam putaveris. At videas simul, qui tale quid tibi licitum duxeris, ne ipsi veritati vim intulisse videaris, nimis contemtim virum judicans, cui non so-

lum ad Marcionis Euangelium (1), sed etiam ad hujus Antithesium opus aditus patuit, quique hoc opere ita usus est, ut eum legisse et relegisse illud mihi saltem persuasum sit (2).

Verbo monendum nobis superest de aliis nonnullis argumentis, quibus adversarios Marcionis contra eum usos esse, aut quae saltem aliquo modo ad culpae ejus demonstrationem adhiberi posse, supra vidimus. Quorum unum est, quod ex ejus vita ac moribus petitur. At praestat hoc non uti, ne cum antiquis conviciari potius quam convincere haereticum virum videamur, etsi *nulla* causa sit, cur inhonesta omnia, quae de eo tradita invenimus, falsa atque commentitia habeamus (3).

Neque etiam confugiendum videtur ad id, quod de Cerdone philosopho, Marcionis praeceptore, ab Anonymo quodam perhibetur, eum scilicet discipulo suo quasi viam monstrasse, Euangelio Lucano recipiendo quidem, *non vero integro.* Ut enim jam supra animadversum est, verba istius Anonymi, s. Pseudonymi potius, parva aut nulla fide digna sunt, — quo accedit,

---

(1) Tertullianum Marcionis Euangelium ob oculos habuisse, argumentando ipse Ritschelius probavit l. l. p. 38.

(2) Quidquid dicat Rhodius l. l. p. 32 sq. — Cf. tamen quae idem ille V. D. mox (p. 34) adjecit: » Tertullianum scriptis » Marcionis usum, majore cum verisimilitudine contenderis, quam » v. c. Epiphanium" rellq. — Marcionis Antitheses Tertulliano in manibus fuisse, etiam aliorum et inter hos quoque Hahnii est sententia l. l. p. 91—113.

(3) Vid. supr. p. 51 sqq.

quod ejusmodi sint indolis, ut etiam fautores Marcionis ea, si vera essent, in suos usus adhibere quodammodo possent (1).

At minime praetervidendum duco, quod a veteribus non solum diserte tradi novimus, sed exemplis quoque comprobatum vidimus., *Marcionitarum* morem ita tulisse, ut quotidie quasi novas mutationes in S. Scripturam inducerent, ex eaque tollerent: *ὅσα ἂν μὴ συντρέχοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ* (2) Etsi enim magister nec semper, nec necessario eorum, quae a discipulis peccantur, ipse reus habendus sit (3), ejusmodi tamen consuetudinem ab ipsis Marcionis moribus vix abhorrere potuisse haud injuria statueris; eo minus, quo certius aliunde apparet, totam doctrinae ejus indolem ita postulasse, ut non — cum Valentinianis — » *materiam ad scripturas*," sed contra »'*scripturas ad materiam*" excogitaret (4).

§. II.

Excutiuntur cum veterum, tum recentiorum de Marcionis Apostolico sententiae.

Provocari *secundo loco* a vulgatae opinionis fautoribus ad rationem solet, qua etiam ceteris S. Scripturae

(1) Vid. supr. p. 50. — Cf. Hahn, l. l. p. 277 sqq.

(2) Dial. Pseudorig. de recte fide, Ed. Wetstein, p. 147. Cf. Tertull. adv. Marc. IV. 5.

(3) » Wenn man von diesen Verfahren der Schüler auf den Meister zurückschliessen wollte, so wäre dies ein zu kühner, und bis jetzt durch nichts berechtigter Schluss." Ritschl. l. l. p. 37.

(4) Ut ait Tertull. de Praescr. adv. Haer. CXXXVIII. — Cf. Hahn, l. l. p. 48.

libris usus est Marcion. Veterum scilicet testimoniis nisi, eum praeter Lucae Euangelium cetera quoque, quae Canone nostro complectuntur, Matthaei certe et Johannis, novisse quidem sed rejecisse contendunt (1). Idem porro de Actis Apostolorum (2), nec non de Apocalypsi (3) statuendum esse censent. Imprimis vero — nam de V. T. libris nihil opus est dictu, quandoquidem de iis nulla controversia inter V. V. D. D. obtinet neque obtinere potest — in paulinas epistolas saevisse illum, tum de numero earum detrahendo, tum singulis adulterandis et depravandis, eadem auctoritate probare connituntur.

Quod igitur Matthaei et Johannis Euangelia attinet, sunt, qui hac ratione Marcionem tueri conentur, ut Tertulliani testimonia nullius pretii esse habenda ostendant (4). Quibus tamen responderi potest: 1°. non Tertullianum solum, sed etiam Irenaeum (5)

---

(1) Iren. adv. Haer. I. 29, III. 11. 12. 29. Tertull. adv. M. IV. 5. — Cf. Hahn, l. l. p. 23 et 236 sqq.

(2) Tertull. l. l. IV. 2; de Carne Christi c. II.

(3) Tertull. adv. Marc. IV. 5.

(4) Ritschl. l. l. p. 34: » Alle diese Aeusserungen enthalten keine historische sondern nur eine dogmatische Gewissheit." — » Jene Zeugnisse Tertullians haben keinen historischen Werth."— Schwegler, l. l. I. p. 281: » Dieses Argument ermangelt vollends ganz und gar aller geschichtlichen Begründung, wie aller Beweiskraft." Mox pergit rogando: » wenn Marcion das Matthäusevangelium gekannt und verworfen hat, — was beweist diess für die Priorität des Lucas und dem secundären Ursprung des marcionitischen Evangeliums?" At hoc non quaeritur. De eo res est, utrum Marcion etiam alios s. scripturae libros repudiasse jure an injuria ab adversariis suis accusetur.

(5) De sensu, quo Lugdunensis ille Episcopus (l. l. III. 11)

et Epiphanium (1) Marcionis levitatem in rejiciendis Euangeliis testari; 2°. e duorum priorum verbis hoc saltem consequi, quod etiam aliunde sat superque patet, quatuor nostra Euangelia temporibus aetati Marcionis proximis, immo fere aequalibus, ubique locorum canonica gavisa esse auctoritate, quod quomodo factum sit, si aliquot annis ante ne Romae quidem degentibus innotuissent, explicari nullo modo posse videtur; 3°. fulciri haec patrum testimonia haud parum iis, quibus vulgo probatur, Canonica Euangelia jam ante medium saeculum secundum non exstitisse tantum, sed usu quoque recepta fuisse. Namque, ne de aliis dicamus, scripta ista jam Valentino gnostico fuisse cognita (2), atque dubitari vix ullo jure posse, quin etiam Justinus Martyr familiariter iis usus sit (3); *denique*, quodsi ita cuipiam videtur, ac si nulla probabilis reddi possit ratio, cur imprimis Johannis Euangelium a Marcione repudiatum fuisset, modo innotuis-

---

dixit, Marcionem totum rejecisse Euangelium et partem se habere Euangelii gloriatum esse, cf. Hahn, l. l. p. 265.

(1) l. l. I. p. 309.

(2) Kirchhofer Quellensammlung u. s. w. p. 387 sqq. — Thiersch Versuch u. s. w. p. 287.

(3) Quaestionem h. l. leviter attingimus, quam si penitus indagare velimus, peculiaris liber nobis conscribendus sit. Sufficiat quod sentio tribus verbis dixisse, eo magis quum provocare mihi liceat ad ea, quae, contra Crednerum imprimis, non ita diu egregie disputavit venerandus Stemlerus in Diario: Jaarboeken v. wet. Theol. VI. 1. 2. 3, quaeque his ipsis diebus hac de re scripsit: K. Semisch: die Apostolischen Denkwürdigkeiten des Märtyrers Justinus u. s. w. p. 96 sqq. Ceterum de Lucani Euangelii in scriptis Justini M. vestigiis pauca quaedam monendi infra erit locus.

set illi (1), — 4°. observandum esse, ut ab aliis jure observatum fuit, librum istum ad Marcionis doctrinam omnino adaptari non potuisse, ut nil miremur, eum, optione data, Lucae digesta longe praetulisse (2).

Acta Apostolorum im Marcionis Canone defuisse constat; an vero ei innotuerint, non aeque certo affirmari posse videtur. Est haec quidem Tertulliani sententia, quam tamen nostram facere hanc ob causam paululum veremur, quod nulla proferri possint argumenta, quibus librum huncce jam Marcionis aetate in usum venisse probetur (3). Sane si notitia ejus ad Marcionem perlata est, causa facile divinari potest, cur ab hocce repudiatus sit. Jam titulus ipse viro invisus esse debuit, qui, ut Irenaeus refert, (adv. Haer. III. 12) palam professus est, » Apostolos adhuc » quae sunt Judaeorum sentientes, annuntiasse Euan» gelium, se autem (ipsum cum suis) sinceriores et » prudentiores Apostolis esse." Neque, ut novimus, aliam ob causam Euangelium suum, titulo mutato, ab ipso Christo conscriptum fuisse simulavit (4). Porro multa continentur Actorum libro, quae cum Marcionis placitis nullo modo in concordiam redigi poterant (5). Quo tandem accedit, quod auctor hujus libri in

(1) Corrodi, Beleuchtung des Bibelcanons II. p. 171, cujus sententiae calculum adjecit Schweglerus, l. l. I. p. 282.

(2) Hahn, l. l. p. 269.

(3) Cf. ad hoc, nec non ad ea quae mox sequuntur, van Oosterzee, over de waarde van de Handelingen der Apostelen, p. 15. sqq.

(4) Dial. de recta fide p. 12 (Edit. Wetst.).

(5) Huc spectant Tertulliani ad Marcionem verba: » Cur ea

proöemio (Act. I. 1) palam se Euangelii Lucae canonici auctorem profitetur, unde factum est, ut, uno libro repudiato, etiam alterius auctoritatem Marcion agnoscere amplius non potuerit.

Verbo tantum monendum est de Apocalypsi. Hunc scilicet librum non solum ante Marcionis aetatem exstitisse, sed ab ipso Apostolo Joanne profectum esse, quam strenue defendatur ab iis, quos nostris temporibus causam Marcionis tueri videmus, novimus. At si de hac genuina Apocalypseos origine adeo non dubitandum est, — nonne permirum, quod Marcion eam vel sic tamen in codicem suum non recepit? Nonne magis etiam id mirabimur, nobiscum reputantes, auctorem ejus in Asia minori vixisse, — in eadem igitur regione, unde ipse Marcion oriundus fuit? Certe mirari *desinemus*, ubi simul nobiscum reputaverimus, quam diversa sit doctrina Apocalypseos ab illa, quam spargendam sibi sumsit Marcion. At si haec causa fuit, cur librum huncce in codice ejus omissum videmus, quid de ceteris, quos aut omisit aut alia forma exhibuit, judicandum erit?

Ad Apostolici Marcionis investigationem progressuris, primo loco contemplandos se nobis offerunt nonnulli

---

respuatis jam apparet, ut Deum scilicet non alium praedicantia quam creatorem, nec Christum alterum, quam creatoris, quando nec promissio spiritus sancti aliunde probetur exhibita, quam de instrumento Actorum" (adv. M. V. 2).

paulinarum epistolarum loci, quorum dissensum s. e varia lectione, s. e calami vitio, cum explicari posse, tum revera explicandum esse statuit Ritschelius (1). De his igitur, quod sentio, dicturus, plures eorum ejusmodi explicationem admittere fateor, plures tamen sic habere, ut consulto potius immutati a Marcione videantur, contendo. Quo imprimis refero: 2 Thess. I. 8, Eph. II. 20, III. 9, VI. 2, quibus locis non verba solum, sed ipsum sensum ita differre videmus, ut diversa, quam apud Marcionem offendimus, lectio multo aptius, quam recepta, haereticae ejus doctrinae respondeat. Certe multum abest, ut cum Bauro et Ritschelio singulas hasce diversitates, undecunque tandem repetundae sint, » fortuitas," » nullo studio quaesitas," » neque magni ponderis" appellaverim.

Etiamsi vero missos hos locos faciamus, supersunt tamen multi alii, quorum discrepantiam e varia lectione aut simili quadam causa haud facile explicueris. Sublaturi igitur, quantum id fieri posset, exinde ortas difficultates, Marcionis patroni viam inierunt, quam supra fusius paulo descripsimus (2). Utrum scopum quoque attigisse dicendi sint, in medio relinquatur, donec de singulis, quibus usi sunt, argumentis, quale judicium ferri opporteat, accuratius paulo viderimus.

Spreta auctoritate Hieronymi, locum Gal. III. 7—9 a Marcione fuisse omissum diserte affirmantis

(1) Vid. supra p. 87.
(2) Pag. 89s qq.

(v. supr. p. 40), hoc unum constare ajunt Ritschelius et Baurus, Tertullianum vs. 7 in Pontici Apostolico non legisse. An vero hujus patris verba recte intellexerint, vehementer dubito. » Sed et cum ad» jicit (ita scriptum invenitur, adv. Marc. V. 3): » om» nes enim filii estis fidei" (Gal. III. 26), ostenditur, » quid supra haeretica industria eraserit, mentionem » scilicet Abrahae, qua nos Apostolus filios Abrahae » per fidem affirmat (vs. 7): secundum quam mentio» nem hic quoque filios fidei notavit. Ceterum quo» modo filii fidei? et cujus fidei si non Abrahae? Si » enim Abraham Deo credidit et deputatum est jus» titiae (vs. 6): atque exinde pater multarum natio» num meruit nuncupari, nos autem credendo Deo » magis proinde justificamur sicut Abraham (vs. 9). » *Sic fit*, ut et supra filios nos Abrahae pronunciarit, » qua patris fidei, et hic filios fidei, per quam Abra» ham pater nationum fuerat repromissus (vs. 8)." Vel egregie fallor, vel sensus horum verborum est: Apostolus ethnicos *filios fidei* vocavit, respexitque hoc cognomine Abrahamum, quem supra ob fidem, quam Deo habuerat, patrem multarum gentium divinitus constitutum fuisse dixerat. Quodsi autem Abrahami, dataeque ei a Deo promissionis mentio non antecessisset, neque etiam tali cognomine fideles ornaturus fuisset. Quomodo enim hi sunt filii fidei? Quonam alio modo nisi hoc, quod ejusdem cum fideli Abrahamo fidei justificantis participes sunt? Patet iccirco ex ipso illo, quo Apostolus lectores suos compellavit

titulo, in antecedentibus mentionem Abrahami fuisse factam, etsi apud Marcionem non inveniatur. — Perperam igitur Ritschelius statuit, Tertullianum eo consilio ad vs. 6 provocasse, ut quasi ex concessis demonstraret, quam inepte solus vs. 7. a Marcione sublatus esset, quum ob nullam aliam causam vss. 6, 8 et 9 excitaverit, nisi ut ostenderet, quomodo iidem, qui filii fidei, etiam Abrahami filii nuncupari ab Apostolo possent. Ceterum, etiamsi Tertullianus unius vs. 7 in Codice Marcionis absentiam testari videretur, vel sic tamen longe abesset, ut Ritschelii rem expeditam satis existimarem. Negari nempe non potest, vs. illum multo magis quam ceteri, de quibus *sermo* est, doctrinae Pontici repugnare. In illis comparatio quidem cum fideli Abrahamo instituitur. In hoc autem fideles ipsi Abrahami filii nuncupantur. Quod, vs. 9. legimus: *ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ*, multo facilius interpretando et accommodando in concordiam cum placitis suis redigi a Marcione poterat, quam quod vs. 7. exhibetur: *ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοι εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ*. Erravit igitur Ritschelius, nullam proferri posse causam contendens, cur Marcion *ceteris intactis* relictis unum vs. 7 deleverit. Neque multum ei expedit, librario culpam dare, qua liberari vult haereticum. Quod, quum per se parum probabile sit, minorem etiam fidem mereri videtur reputantibus nobis, quam creditu difficile sit, casu et forte ita esse factum, ut ipso illo apographo, in quo vitium tale commissum erat,

Tertullianus uteretur (1).

Lacunam, quam a Gal. III. 15 inde usque ad IV. 3 ejusdem epistolae in textu Marcionitico observare sibi visus est Hahnius, non revera exstitisse contendunt quidem Baurus et Ritschelius; at me saltem frustra ad partes suas perducere conantur. Obstat, quod Tertulliani verba aliter interpretari non posse mihi videor, nisi hunc in modum, ut Marcionem τῆς ἐπαγγελίας τοῦ πνεύματος mentioni (vs. 14) continuo subjecisse ea, quae vs. 26 leguntur, dehinc autem, adsumta etiam dimidia vs. 15 parte (ἀδελφοί, κατὰ ἄνθρωπον λέγω), derepente in Gal. IV. 3 transiluisse, h. l. significaverit. » Adhuc" — sic enim legimus adv. Marc. V. 4 — » secundum hominem dico » (Gal. III. 15) dum essemus parvuli, sub elementis » *mundi* eramus positi ad deserviendum eis (Gal. IV. 3)." Tum, ut Marcionem, sic legi jubentem, disjecta quasi membra in unum consarcinasse, semetque ipsum falsarium prodidisse ostendat, pergit scribendo: » atquin non » est hoc humanitus dictum, non enim exemplum est, » sed veritas. Quis enim parvulus utique sensu, quod » sunt nationes, non elementis subjectus mundi, quae » (elementa) pro deo (i. e. tamquam deum) suspicit » (colit)?" Quo igitur pertinet istud: κατὰ ἄνθρωπον λέγω? Illuc, ubi in recepta epistolarum paulinarum

(1) » Fehlte also" — sunt verba Bauri, l. l. p. 412 sq. — » vermuthlich nur jene eine Stelle, wie zufällig konnte das Exem- » plar, dessen Tertullian sich bediente, hier gerade diese » *kleine* Lücke haben." — Wie zufällig!!

editione reapse exhibetur. » Illud autem fuit (scil. humanitus dictum) quod cum secundum hominem dixisset, tamen testamentum hominis nemo spernit aut superordinat (Gal. III. 15). Exemplo enim *humani* testamenti permanentis divinum tuebatur. Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dixit seminibus, quasi pluribus, sed semini, tamquam uni, quod est Christi (ibid. vs. 16)." Est igitur omni dubio exemtum, et habetur quoque ab ipsis Bauro et Ritschelio, Tertullianum dicendi formulam: *κατὰ ἀνθρ'' λ''* in codice Marcionitico Gal. IV. 5 scriptam invenisse. At hoc deinde ita explicare conantur, ut de glossemate cogitare nos jubeant, quo scilicet factum sit, ut, quae Gal. III. 15 exhibentur verba, infra (IV. 5) in margine repetita atque exinde in ipsum textum translata sint. Animadvertamus tamen 1° hoc meram esse conjecturam, eo minus verosimilem, quo saepius ad eam recurrere opus sit; 2° idoneam nullam reddi posse causam, cur ejusmodi glossema Gal. IV. 5 adscriptum sit; 3° difficilius etiam explicari, quomodo in ipsum textum irrepserit; 4° necesse insuper esse ut statuamus, quod tamen vix credibile videtur, unicum Marcionitici Apostolici exemplar, vel saltem unum de paucis, quae corruptam istam exhiberent lectionem, ad Tertullianum pervenisse. Glossematis igitur cogitationem, ob varias has rationes, parum commendationis secum ferre, quotusquisque est, qui non videat? Sed magis etiam abstinendum illa et amplectendam Hahnii sententiam suadent verba, quae uno tenore cum

supra allatis scripsit Tertullianus: » Erubescat spon-
» gia Marcionis. Nisi quod ex abundanti retracto,
» quae abstulit, cum validius sit, illum ex his revinci
» quae servavit." Meo saltem judicio, cum Ritschelius, tum Baurus, in verbis istis explicandis summo arbitrio, licentia immo, usi sunt. Marcioni, spongia utenti, erubescendum esse, non quod locutionem Gal. III. 15 obviam, IV. 5 repetivisset, sed quod iis quae a Paulo scripta essent, nonnulla ademisset, tam manifesto docent, ut ne dubitari quidem hac de re posse videatur. Ceteroquin, quid illud sibi vult, nisi quod ex abundanti retracto, quae *abstulit?* Quaeri icciro solummodo potest, quidnam eum non adjecisse, ut Ritschelius vult, sed proprio vocis sensu *abstulisse* Tertullianus innuat. De vs. 7 cogitandum esse *Baurus* contendit, non probat. Neque etiam est, cur in hac contexta oratione, quum omni alia re occupatus esset, Tertullianum vs. istum denuo respexisse existimemus. Multo potius ad ipsa illa, de quibus h. l. sermo est, dictum ejus refertur. Causam scilicet ostenderat, cur formulae *κατὰ ἄνθρωπον λέγω* locus non esset Gal. IV. 5, cur vero III. 15 necessario quasi requireretur, utque hoc probaret, ad contextam hujus loci orationem provocaverat. Deinde autem adjicit, » nisi quod ex abundanti retracto quae abstulit" etc. Abstulerat igitur Marcion ipsa illa quae ad crimen ejus arguendum modo in medium erant prolata. Quumque praestaret illum ex his revinci, quae servaverat, Tertullianus continuo ad ea, quae

IV. 4 exhibentur, contemplanda se convertit. Nil verosimilius igitur, quam quod ea, quae abhinc silentio praetermissa ab illo videmus, in Codice Marcionis defuerint. Certius etiam, omnia quibus Cap. III. Abrahami mentio fit, a Marcione fuisse sublata, siquidem hoc disertissimis Tertulliani verbis probetur, quae de Gal. IV. 22 sqq. acturus scripsit: » Sed ut furibus » solet aliquid excidere de praeda in indicium, ita » credo et Marcionem novissimam Abrahae mentionem (eam scil. quae h. l. occurrit) » dereliquisse, nullam » magis auferendam, etsi ex parte convertit." Sic enim scribere omnino non potuit, nisi compertum habuerit, Marcionem ea, quae in antecedentibus de Abrahamo foedereque cum eo pacto dicta essent de codice suo erasisse; ne dicam, quam novum haec ipsa verba nobis praebeant levitatis indicium, qua Marcion in s. scripturae sensu s. inmutando s. convertendo versatus est (1).

(1) Provocat quidem Baurus ad Tertulliani dictum supr. laud., ut, quam parum confusis ejus disputationibus profici liceat, ostendat. » Hier also (Gal. IV. 22) — inquit - hätte Marcion in je» dem Falle die mentio Abrahae stehen gelassen, — wozu, wenn » sie ihm überhaupt so zuwider war? und wozu convertirte er sie » doch wieder zum Theil, wenn er sie überhaupt stehen liess? » Half er sich aber etwa hier, wie Hieronymus zu Gal. IV. 24 » von Marcion und Manichäus behauptet, durch die allegorische » Erklärung, so konnte er ja auch sonst von derselben Auskunft » Gebrauch machen. Kurz es ist durchaus unmöglich, aus Ter» tullian's vagem, unklarem, völlig unmethodischem Hin- und » Herreden sich zu abstrahiren, worin denn die angeblichen, so » gewaltsamen marcionitischen Textveränderungen bestanden haben » sollen." (l. l. p. 414. — At quid hac ipsa Bauriana animadversione multum proficiamus, equidem non video. Tertullia-

Gal. IV. 4 verba γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον a Marcione sublata fuisse, aliunde quidem non efficitur, nisi e silentio quo praetermisit ea Tertullianus. Ad silentium vero hocce explicandum non sufficit, quod monet Ritschelius, doctorem istum saepius compendio quodam scribendi usum esse. Nam etsi hoc largiamur, non praetermittenda tamen videtur diversa loci, ad quem provocavit, indoles. Quod locum Gal. VI. 9, 10 ad sensum potius quam ad verbum citaverit Tertullianus, sane non miramur. Quominus autem Gal. IV. 4 verba, de quibus sermo est, omitteret, ipsorum illorum verborum gravitas impedire eum oportuit. Certe non intelligo, cur ea omiserit, dummodo in Marcionis Apostolico illa invenerit, quandoquidem christologico hujus systemati quantumvis contraria essent. Ceterum, quod nullo verbo indicavit Tertullianus, quid h. l. a Pontico sublatum sit, hoc cum Ritschelio exinde explicandum censeo, quod hoc unum sibi habuerit propositum: probare (sunt ipsius ejus verba) nullum alium deum ab apostolo circumlatum esse quam creatorem.

---

num in disputando perspicuitatis praemium non tulisse nemo est, qui neget. Hoc tamen satis perspicue enuntiavit, Marcionem, si unum locum Gal. IV. 22 sqq. excipias, mentionem Abrahami ubique sustulisse. Neque etiam diversum curo modum, quo diversis locis sibi opitulatus sit haereticus. Non enim is ego sum, qui firmis ac stabilibus rationibus eum in crisi sua exercenda ductum fuisse contendam. Rogatum insuper velim, an nulla, si non divinari, saltem fingi possit causa, cur eandem Abrahami mentionem Cap. III. delendam prorsus, eandem Cap. IV. servandam quidem sed ex parte simul convertendam putaverit? Cf. Hahn, l. l. p. 56 sq.

Quod ad postremam Cap. IV. partem attinet, concedendum fortassis erit Ritschelio, silentium Tertulliani non sufficere ad probandam Hahnii conjecturam, secundum quam vss. 27—30 a Marcione fuerint sublati. At quicquid sit, et licet indicari haud facile queat, quasnam mutationes introduxerit, haereticum tamen nostrum etiam h. l. aliter legisse, quam in textu recepto habetur, nimis manifesto ipsis Tertulliani verbis probatur, quam ut in dubium vocari a quopiam possit (1).

Ut taceam jam discrepantias in recensione Marcionitica epistolarum Pauli ad Corinthios conspicuas (2), converto me ad illam, quae ab eodem ad Romanos fuit scripta epistola, paucis, ut spero, Ritschelii Baurique refutaturus commenta. Multus scilicet unus et alter est in perstringenda levitate, qua, si illos audias, in interpretandis Tertulliani verbis usus fuerit Hahnius, at ita multus, ut perditam quasi causam uterque agere videatur. Quod ipsi palam confitentur, verba ista ita sunt comparata, ut primo obtuitu de textus quadam adulteratione cogitare nos jubeant (3). Nec profecto scio, quonam unquam

(1) Verbis scil. modo citatis (adv. Marc. V. 4); » Sed ut solet » — *etsi ex parte convertit.*"

(2) Prae ceteris memorabilis est ea quae occurrit 1 Cor. XV. 45, ubi Marcion pro ἔσχατος Ἀδὰμ legere jussit: ἔσχατος Κύριος. Etiam hanc discrepantiam e glossemate oriundam esse conjecit Ritschelius (l. l. p. 162). Quonam jure, ipse videas, lector. Mihi quidem, quod lubens confiteor, hac de re non ita persuasum fuit, ut omnia alia suspicari desierim.

(3) » Aber zugleich lässt sich nicht läugnen, dass Tertullian,

alio possint accipi sensu, quae v. c. scripta legimus adv. Marc. V. 13: »Quantas autem foveas in ista vel »maxime epistola (ad Rom.) Marcion fecerit, *aufe*»*rendo quae voluit*, de nostri instrumenti integritate »patebit. Mihi sufficit, quae proinde *eradenda non* »*vidit*, quasi negligentias et caecitates ejus accipere." An disertius affirmari potuit, instrumentum, quo usus fuerat Marcion, non fuisse integrum, sed corruptum, laceratum et multis modis decurtatum? At vel sic tamen Marcionis fautores eum Pauli ad Romanos epistolam non adulterasse contendunt. Quonam argumento nisi? Provocant *primum* ad Epiphanii silentium, quo tamen, si mihi dixeris, quomodo probari queat, Tertullianum non in foveas istas incidisse, in quas ipse se in hac Apostolici Marcionitici parte offendisse quam luculentissime testatus est, magnus mihi eris Apollo! *Secundo autem loco* id summo studio nituntur, ut demonstrent, ipsum Tertullianum lacunarum, de quibus quaeritur, nullam omnino indicasse. Sed speciosius quam veri amantius, ut hoc propositum adsequantur, verbis ejus sensum substituunt, quem, me judice, nullo modo iis tribuere licet. Quod, memorato loco Rom. VIII. 11, Tertullianus ait: »Salio et hic *amplissimum abruptum intercisae scripturae*, sed apprehendo testimonium

---

» sei es mit Absicht, sei es durch Verwirrung in seiner eignen » Leidenschaft, seine Worte so undeutlich gesetzt habe, dass sie » zunächst auf eine Verstümmelung des Textes schliessen lassen." Ritschl. l. l. p. 165 sq. Cf. Baur, l. l. p. 417.

» perhibentem apostolum Israeli, quod quidem zelum » dei habeant, non tamen per scientiam (X. 2)," — id quidem, si meam sententiam quaeris, non ita intelligendum est, ac si omnia, quae duobus his locis interjacent, a Marcione fuerint sublata, at hoc tamen jure infitiari nemo poterit, *scripturam* h. l., si Tertulliano fidem habeas, ingentem in modum a Marcione fuisse *intercisam* (1). Neque magis, immo multo etiam minus adsentiendum videtur Ritschelio, ubi verba quae Tertullianus laudato loco Rom. XI. 33 adjecit: » unde illa eruptio? Ex recordatione scilicet » scripturarum, quas retro revolverat, ex contempla» tione sacramentorum, quae supra disseruerat in fidem » Christi ex lege venientem. *Haec si Marcion de in*» *dustria erasit*" rellq. — ita accipere jubet, ac si Ponticus e Tertulliani sententia non *recordationem scripturarum* neque *contemplationem sacramentorum* sed *sensum eorum quae a Paulo scripta essent* erasisset. Ejusmodi enim interpretationi nihil omnino favet, ne dicam, eam a Tertullioni consuetudine ita abhor-

(1) Haud sine veri specie Ritschelius, l. l. p. 194 scripsit: » Wenn Tertullian etwas überspringt, so muss etwas dagewesen sein. Dies nennt er nun einen abruptus (l. *abruptum*) intercisae scripturae, einen Abschnitt der Schrift, die übrigens Verstümmlungen erlitten hatte" u. s. w. Quod autem probe animadvertatur, *abruptum* non significat: » einen Abschnitt" sed *foveam*, s. *lacunam*. Tertullianus igitur dicit se salire hanc novam, in quam inciderat foveam, *amplissimam* sane quam in *scriptura* ab omni parte *intercisa* invenerat. More suo salito (salio *et hic*) Marcionem impugnare iis noluit, quae in hujus Apostolico frustra quaerebantur, sed praetulit convertere se ad ea, quae inter se communia habebant: » sed apprehendo testimonium" rellq.

rere, ut verbum *eradere* tali sensu nusquam ab eo usurpatum inventurus sis. Neque etiam aliam ob causam eam arripuisse videtur Ritschelius, nisi ut per fas et nefas propositum suum adsequeretur, ut scilicet ostenderet, Marcionem, quicquid dixerit Tertullianus, nihil de industria erasisse (1).

Ultimus, qui hic in censum venit, locus est Col. I. 15—17. Quod ad hunc vero attinet, parum abest, quin ipse Ritschelius Marcionem illum sustulisse confiteatur. Unicum, quo se tueri quodammodo conatur, ejus argumentum est, Tertullianum ita fortasse tantum *finxisse*, ac si Marcion locum huncce, utpote doctrinae ipsius ab omni parte repugnantem, de codice suo erasisset. At non sine magna causa addidit, nil mirum fore, si talis conjectura non aeque omnibus probaretur (2). Neque etiam mihi satis arridet, ut ad eam amplectendam animus inclinet. Lubens enim confiteor, me non videre, qualem sensum habere possint Tertulliani verba, nisi exinde concludatur, eum in Marcionis

(1) De duobus postremis epistolae ad Romanos Capp. agere nolui ob criticas, quibus eorum origo premitur, difficultates. Neque etiam de titulo, qui in Marcionis Apostolico Pauli ad Ephesios epistolae inscriptus fuit, hoc loco dicendum esse mihi visum est. Eam a Marc. *ad Laodicenos* fuisse inscriptam disertus nobis auctor est Tertullianus. Eam contra ad Laodicenos mitti *non potuisse*, alibi demonstravimus. Quanam vero de causa Marc. hac in re ab ecclesiae auctoritate recesserit, id ipsum est quod dubitatur.

(2) » Diese Ansicht der Sache lässt sich zwar nicht zur absoluten Gewissheit erheben, und wird Manchem entschieden unwarscheinlich vorkommen." l. l. p. 169.

Apostolico nude invenisse positum: „et ipse est ante omnes" (Col. I. 17) (1).

§. III.

Exploratur discriminis, quod Marcionis inter et Lucae Euangelium intercesserit, ratio.

Etsi sint, qui Marcionis *Apostolicum* cum genuina Paulinarum epistolarum *ἐκδόσει* ita convenisse contendunt, ut interpolationis suspicio ne moveri quidem contra illud posse iis videatur, nemo tamen dubitat, neque etiam dubitari ab ullo potest, quin Marcionis inter et Lucae *Euangelium* insigne quoddam discrimen fuerit conspicuum. Quoniam vero de ipsius hujus discriminis ratione haud parum ambigatur, necesse erit, ut de fontibus, unde Euangelii Marcionitici diversam formam etiamnunc cognoscere liceat, pauca haecce praemoneamus.

Sunt illi praesertim duo, nempe Tertullianus atque Epiphanius. Adhiberi quidem et alii praeter hos solent, imprimis Pseudo-Origenianus de recta fide Dialogus; etsi vero hi nonnumquam faciant ad confirmanda ea, quae de Marcionis Euangelio aliunde nobis innotuerunt, observandum tamen est, nos eo minus iis subinde confidere posse, quo magis incertum est, utrum ad ipsius semper Marcionis, an

(1) Cett. cf. hujus opusc., ubi ipsa, de quibus hic agitur, Tertulliani verba exhibentur.

ad seriorum quoque Marcionitarum commenta in illis respiciatur (1).

Tertullianum atque Epiphanium ipsum Marcionitici Euangelii textum ob oculos habuisse, jure inter V. V. D. D. constat (2). Uterque scilicet perlustrandum illum sibi sumserat, ut iis ipsis, quae Euangelica veritate Marcioni gaudere videbantur, quaeque ideo in Canonem suum receperat, aut haeretica ejus refelleret placita (3), aut temeritatem ejus in ceteris conspicuam, retegeret. Quod porro ad viam attinet, qua ad

---

(1) Hahn, l. l. p. 90. — Negari sane non potest, etiam in exemplari, quo usus fuit Epiphanius nonnullas occurrisse mutationes, quas ipse Marcion nondum introduxerat. Ut videtur tamen, hae paucae erant numero et minoris ponderis. Cf. Hahn, l. l. p. 130. — Ritschl. l. l. p. 37 sq. — Schwegler, l. l. I. p. 262.

(2) Hahn, l. l. p. 91, 114 sqq. — Ritschl. l. l. p. 38 sq. — Gratzium hac de re dubitantem merito reprehendit Hahn, l. l. p. 95 sq.

(3) Ipsi hoc sibi propositum esse disertis verbis et saepius testati sunt. Tertullianus, postquam Marcionem de Euangelio suo — ad quod jamjam provocaturus erat — omnia erasisse dixerat, quae sententiae suae contraria essent, hoc modo pergit: » Competentia autem sententiae suae reservavit. *Haec conveniemus, haec amplectemur si nobiscum magis fuerint, si Marcionis praesumtionem percusserint.* Tunc et illa constabit eodem vitio haereticae caecitatis erasa, quo et haec reservata." (Adv. M. IV. 6). Eundem alio loco Marcionem adloquentem audimus hisce verbis: » *sed quatenus ex his revincendus es, quae recepisti*, sic tibi occurram" (Ib. IV. 4). — Epiphanium quoque ipso Marcionis Euangelio hunc in finem fuisse usum, ut adversarium suum propriis impugnaret armis, patet ex iis quae scripsit l. l. p. 311: *ἐκ γὰρ τοῦ παρ' αὐτοῦ Εὐαγγελιόυ τὰ πρὸς ἀντίῤῥησιν τῆς πανούργου αὐτοῦ ῥαδιουργιάς σπουδάσαντες παρεθέμεθα κ. τ. λ.* — Cf. etiam quae p. 310 leguntur: *ἐξ οὗπερ χαρακτῆρος τοῦ παρ' αὐτοῦ σωζομένου, τοῦτε Εὐαγγελιόυ, και τῶν Ἐπιστολῶν τοῦ Ἀποστόλου δεῖξαι αὐτὸν ἐν Θεῷ ἔχομεν ἀπατεῶνα καὶ πεπλανημένον, καὶ ἀκρότατα διελέγξαι.*

propositum suum contendere uterque constituerat, observandum est, Tertullianum — si admodum rara quaedam contrarii agendi exempla excipis (1) — silentio illos praetermittere solere locos, quos in Marcionis Euangelio aut non invenerat, aut ita se habere perspexerat, ut nil praesidii exinde contra Ponticum peti posset; Epiphanium vero in scholiis suis, etsi non universas, praecipuas tamen et plurimas mutationes, quas commisisse Marcionem comperierat, disertis verbis indicare, ita ut fere nunquam dubium ab illo relinquatur, quaenam Canonici Euangelii particulae ab haeretico viro resectae, quaenam et quali modo adulteratae ab illo fuerint. Errasse mihi hanc ob causam videntur, quotquot Euangelii Marcionitici formam indagaturi initium fecerunt a Tertulliani testimoniis, quum ex hujus silentio satis justa ratione non semper effici queat, utrum locus aliquis in codice Marcionis extiterit nec ne. Imprimis autem culpandos censeo, cum Hahnium, tum omnes, qui, vestigia ejus secuti, cunctos, quos a Tertulliano praetermissos cernimus locos, quorum sensus Marcionis placitis aliquo modo adversari iis videbatur, hanc ipsam ob rem in hujus Euangelio defuisse statuant (2). Multo sane tutius iverit, qui, ab Epiphanio exorsus, hujus effata cum iis quae Tertullianus habet comparanda sibi sumserit. Quod ut nobis appareat, age, primo loco brevi conspectu videamus, quid ab illo nobis proditum sit;

---

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 98 sq.
(2) Ritschl. l. l. p. 48, 65 sq.

comparemus deinde cum illius testimoniis ea, quae hic in libro IV. adv. Marc. scriptis mandavit (1).

Index locorum, quos, teste Epiphanio, Marcion expunxit aut mutavit.

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
Cap. I & II. Prooemium. Narratio de Maria et Elisabetha, Joanne ac Zacharia. — Ortus Jesu Bethlehemitici nec non ejusdem pueritiae historia. Cap. III. 1[b] usque ad finem. Jesu a Joanne baptisatus. Ejusdem genealogia.	Ταῦτα πάντα περικόψας ἀπεπήδησε, καὶ ἀρχὴν τοῦ Εὐαγγελίου ἔταξε ταύτην· ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος, καὶ τὰ ἑξῆς (III. 1a). Epiph. l. l. p. 311 sq.
Cap. IV. 1—13. Historia tentationis Jesu in deserto.	Quum etiam ea quae IV. 1—13 habentur se non legisse apud Marcionem testari videatur Epiphanius (l. l. p. 342 sq. Cf. Hahn, l. l. p. 133. Olshausen, l. l. p. 127) probabile est, verba modo e III. 1 citata in Euangelio haeretico conjuncta fuisse cum iis quae a medio inde Cap. IV sequuntur.
V. 14. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς	V. 14. εἰς μαρτύριον ὑμῖν. Varia lectio. (l. l. p. 312, 323 Schol. I.) Praeterea, Epiphanius Marcionem vocem δῶρον sustulisse accusat hisce verbis: κἂν τι ἀποκόψῃς τὸ δῶρον. (l. l.)
VI. 1—4. Discipuli spicas evellunt die Sabbathi.	VI. 1 - 4. Commemorantur hi vss. ab Epiphanio post IX. 44 (l. l. p. 313 & 329, Schol. XXI); quod tamen, ut videtur, absque consilio factum est.

(1) Cett. non opus est ut dicam, utrumque, cum Tertullianum, tum Epiphanium simul audiendos esse. Jure enim Olshausen (l. l. p. 126): » Vereinzelt in die Untersuchung gezogen, können weder Epiphanius noch Tertullian ein gründliches Resultat geben.«

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
VI. 17. μετ' αὐτῶν	VI. 17. ἐν αὐτοῖς } Variae, ut videntur, lectt. Cf. Hahn l. l. p. 141.
» 23. οἱ πατέρες αὐτῶν	» 23. οἱ πατέρες ὑμῶν
VIII. 19. Παρεγίνοντο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ κ. τ. λ.	VIII. 19. οὐκ εἶχεν· ἡ μήτηρ αὐτοῦ, οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ (deerat igitur vs. 19) ἀλλὰ μόνον· ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου (vs. 20. l. l. p. 325 coll. p. 312).
IX. 30 sq. καὶ ἰδού, ἄνδρες δύο — Ἱερουσαλήμ·	XI. 30 sq. Epiph. hos vss. citavit ac si Marc. legerit: καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, Μωσῆς καὶ Ἠλίας, ἐν δόξῃ, omissis verbis: οἱ ὀφθέντες — ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ ἣν ἤμελλεν πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ (l. l. p. 313. 327).
IX. 40. sq. καὶ ἐδεήθην τῶν μαθητῶν σου — προσάγαγε ὧδε τὸν υἱόν σου.	IX. 40 sq. εἶχε δὲ παρὰ τὸ (i. e. praeter verba s. exceptis verbis) ἐκβαλεῖν αὐτὸ οὐκ ἠδυνήθησαν, καὶ πρὸς αὐτούς, ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν, ὦ γενεὰ ἄπιστος; (1)
X. 21. Ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς.	X. 21. Εὐχαριστῶ σοι κύριε τοῦ οὐρανοῦ (l. l. p. 313 coll. p. 329 Schol. XXII).
X. 25. ζωὴν αἰώνιον.	X. 25. vox αἰώνιον defuisse videtur (2).
XI. 29—32. Jesus perversitatem aetatis suae increpat.	X. 29—32. Παρακέκοπται τὸ περὶ Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου· εἶχε γάρ· ἡ γενεὰ αὕτη, σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, οὐκ εἶχε δὲ περὶ βασιλίσσης νότου καὶ Σαλομῶνος. (l. l. p. 331. Schol. XXV. Cf.

(1) Vulgo accipitur, Epiphanium h. l. (p. 328) nihil aliud significare voluisse nisi hoc quod verba: οὐκ ἠδυνήθησαν ἐκβαλεῖν αὐτὸ a Marc. sublata essent (Cf. Hahn, l. l. p. 155 sqq., de Wette, l. l. p. 107). Interpretationem hancce omni dubio carere non facile dixerim, neque eam tuendi causa ad ea quae in Refut. XIX habentur provocari posse, Hahnio lubens concesserim. Quicquid autem est, Marcionem verba: ὦ γενεὰ ἄπιστος κ. τ. ἑ. non sustulisse Tertullianus diserte testatus est. Quodsi igitur Epiph. illa non legisse dicendus sit, eorum defectus non ipsi Marcioni sed discipulis ejus tribuendus videtur.

(2) Epiphanius saltem in Refut. XXIII. (l. l. p. 329) hujus vocis nullam mentionem fecit. Cf. Hahn, l. l. p. 161.

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
	quae scripsit Epiph. l. l. p. 313: οὐκ εἶχε δὲ περὶ Νινευῆ καὶ βασιλίσσης νότου καὶ Σαλομῶνος.
XI. 42. τὴν κρίσιν	XI. 42. τὴν κλῆσιν (l. l. p. 313 & 332 Schol. XXVI).
» 49—54. Jesus prophetarum interemtoribus interitum minatur.	» 49—51. οὐκ εἶχε δέ· διὰ τοῦτο εἶπεν ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας καὶ περὶ αἵματος Ζαχαρίου, καὶ Ἄβελ τῶν προφητῶν ὅτι ἐκζηθήσεται ἐκ τῆς γενεᾶς ταύτης (l. l. p. 313 sq. coll. p. 333. Schol. XXVIII).
XII. 6 sq. De providentia divina vel minimas res curante.	XII. 6. οὐκ εἶχε δέ· οὐχὶ πέντε στρουθία ἀσσαρίων δύο πωλεῖται, καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ (l. l. p. 314 coll. p. 333. Schol. XXIX). Consequens est, quod Hahnius animadvertit (l. l. p. 167) etiam vs. 7 in Codice Marcionis defuisse.
XII. 8 sq.	XII. 8 sq. ἀντὶ τοῦ· ὁμολογήσει ἐνώπιον τῶν Ἀγγέλων, τοῦ Θεοῦ λέγει (l. l. p. 314 & 334. Schol. XXX).
» 28.	» 28. οὐκ ἔχει τό· ὁ Θεὸς ἀμφιέννυσι τὸν χόρτον (l. l. Schol. XXXI).
» 32. ὁ πατὴρ ὑμῶν.	» 32. Deerat: ὑμῶν (l. l. Schol. XXXIV).
» 38. δευτέρᾳ ἢ τρίτῃ φυλακῇ.	» 38. ἑσπερινῇ φυλακῇ. — Variae lectiones. Quod imprimis ad vs. 38 attinet, plures Codd. Marcionis auctoritati suffragantur.
» 50. βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι ἕως ὅτου τελεσθῇ.	» 50. καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη τετέλεκα αὐτό; (l. l. p. 304. Cf. tamen Hahn, l. l; p, 173[*]).
XIII. 1—9. De Galilaeis a Pilato caesis. — Parabola de exstirpanda ficu sterili	XIII. 1—9. Desiderabatur haec pericope in exemplari quo usus fuit Epiphanius (l. l. p. 314 & 336. Schol. XXXVIII. Cf. Hahn, l. l. p. 175).

Euangelium Lucas.	*Euangelium Marcionis.*
XIII. 28. ὅταν ὄψησθε Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας.	XIII. 28. ὅτε πάντας τοὺς δικαίους ἴδητε. Tum post ἐκβαλλομένους Marcion adjecit (καὶ) κρατουμένους (l. l. Schol XL. Cf. Hahn, p. 177).
» 29—35. Postremum vocati primum accepti. — Herodes Jesu insidias struxisse nuntiatur. — Queritur Dominus de Hierosolymorum contumacia.	» 29 - 35. Haec omnia in Marcionis Euangelio defuisse testatur Epiphanius l. l. Schol. XLI.
XIV. 25. μισεῖ.	XIV. 26. καταλείψῃ ut patere videtur ex iis, quae scripsit Epiph. in Refut. ad Schol. LXX. p. 347. (Cf. Hahn p. 181.)
XV. 11—32 Parabola de filio degenere ad patrem reverso.	XV. 11—32. παρέκοψε πάσαν τὴν παραβολὴν τῶν δύο υἱῶν, τοῦ εἰληφότος τὸ μέρος τῶν ὑπαρχόντων καὶ ἀσώτως δαπανήσαντος, καὶ τοῦ ἄλλου (l. l. Schol. XLII).
XVII. 10. λέγετε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν, ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι πεποιήκαμεν.	XVII. 10. Haec verba a Marc. sublata fuisse testatur Epiphanius, l. l. Schol. XLVII.
» 11—19. Decem leprosi sanantur.	» 11—19. Marcionem h. l. plura cum sustulisse tum interpolasse refert Epiph., non vero probat, nisi quod haereticum ea quae Luc. IV. 27 leguntur huc transtulisse sat manifesto testetur l. l. Schol. XLVIII. (Cf. Hahn, p. 189.)
XVIII. 19. εἰ μὴ εἷς ὁ θεός.	XVIII. 19. προσέθετο ἐκεῖνος (Marc.) ὁ Πατήρ. } (l. l. Sch. L).
» 28. τὰς ἐντολὰς οἶδας.	» 20. τὰς ἐντολας οἶδα (1). } (l. l. Sch. L).
» 31—34. Jesus annuntiat exitum suum discipulis.	» 31—34. ὅλα ταῦτα παρέκοψε (l. l. Schol. LII).
» 37. Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος.	» 37. Ἰησοῦς (l. l. Schol. LI. Cf. Hahn, p. 193) (2).

---

(1) Ἵνα μὴ δείξῃ τὰς ἐντολὰς ἤδη προγεγραμμένας λέγει· τὰς ἐντολὰς οἶδα· (Cf. tamen Hahn, l. l. p. 192 a)).

(2) Animadvertendum est, Epiphanium h. l., ut saepius, compendio quodam scribendi usum, vss. 35—37 citasse, ac si scriptum esset:

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
XIX. 29—46. Jesus arcessi jubet asinum, quo vectus, Hierosolyma mox triumphantis instar introiturus est. — Templo expellit mercatores.	XIX. 19—46. παρέκοψε τὸ κεφάλαιον τὸ περὶ τοῦ ὄνου καὶ Βηθφαγὴ καὶ τὸ περὶ τῆς πόλεως καὶ τοῦ Ἱεροῦ (1).
XX. 9—18. Parabola de vinitoribus perfidis.	XX. 9—18. Πάλιν παρέκοψε τὴν περὶ τοῦ ἀμπελῶνος τοῦ ἐκδιδομένου γεωργοῖς καὶ τὸ· τί οὖν ἐστιν τὸ· λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες (l. l. Schol. LIV) (2).
» 37 sq. De mortuorum resurrectione.	» 37 sq. Ἀπέκοψε τὸ· ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροί, Μωϋσῆς ἐμήνυσεν περὶ τῆς βάτου, ὡς λέγει ὁ Κύριος τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ· Θεὸς δὲ ἐστι ζώντων, καὶ οὐχὶ νεκρῶν (l. l. p. 316. 341 sq. Schol. LVI & LVII. Cf. Hahn, p. 199.)
XXI. 18. De providentia divina.	XXI. 18. Πάλιν παρέκοψε τὸ· θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται (l. l. Schol. LVIII).
» 21 sq. De calamitatibus, una cum Domino ad judicium redeunte, venturis.	» 21 sq. Πάλιν παρέκοψε ταῦτα· τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη, καὶ τὰ ἑξῆς (l. l. Schol. LIX) (3).
XXII. 3 sq. Satanas dicitur Judam corripuisse.	XXII. 3 sq. Ex Epiphanii verbis (l. l. Schol. LX) sequi putat Hahnius (l. l. p. 203—207) duos hosce vss. in Codice Marcionis defuisse.

ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχὼ τυφλός τις — ἐβόησε λέγων κ. τ. λ., ut de iis, quae his verbis probabiliter in textu Marcionis interjacuerunt, certis rationibus nihil affirmari liceat.

(1) διότι γεγραμμένον ἦν — sic pergit Epiph. Schol. LIII — ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται, καὶ ποιεῖτε αὐτὸν σπήλαιον λῃστῶν.

(2) Etiam ea quae 1—8 habentur defuisse, Hahnius (l. l. p. 107) efficere sibi visus est ex iis quae scripsit Epiph. in Refut. ad Schol. LIII; refutare eum conatus est Ritschelius l. l. p. 58 sq.

(3) διὰ τὰ ἐπιφερόμενα ἐν τῷ ῥητῷ — sic adjicit Epiph. — ἕως πληρωθῇ τὰ γεγραμμένα.

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
XXII. 16. Jesus, se ante regni divini adventum pascha rursus esurum esse negat.	XXII. 86. παρέκοψε τό· λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ φάγω αὐτὸ ἕως ἂν πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ (l. l. Schol. LXIII) (1).
» 30. Jesus discipulis suis epulas et varios honores promittit ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.	» 30. Et haec a Marc. sublata fuisse affirmat Epiphanius in Refut. ad Schol. LXIII. (2).
» 35—37. Jesus, periculum instare videns, discipulos suos ut gladios emant hortatur.	» 35—37. παρέκοψε τό· ὅτε ἐπέστειλα ὑμᾶς μή τινος ὑστερήσατε, καὶ τὰ ἑξῆς (l. l. Schol. LXIV) (3).
» 49—51. Petrus Malchum vulnerat.	» 49—51. παρέκοψε ὃ ἐποίησε Πέτρος, ὅτε ἐπέταξε καὶ ἀφείλετο τὸ οὖς τοῦ δούλου τοῦ ἀρχιερέως (l. l. Schol. LXVII coll. Refut.)
XXIII. 2. διαστρέφοντα τὸ ἔθνος.	XXIII. 2. διαστρέφοντα τὸ ἔθνος καὶ καταλύοντα τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας (l. l. Schol. LXIX).
» ibid. κωλύοντα φόρους Καίσαρι διδόναι.	» ibid. κελεύοντα φόρους μὴ δοῦναι — sic enim haec verba citat Epiphanius — Καὶ ἀποστρέφοντα τὰς γυναῖκας καὶ τὰ τέκνα (l. l. Schol. LXX. Cf. quae in Refut. ad hoc Schol. ab Epiph. scripta sunt).
» 43. Paradisi mentio.	» 43. παρέκοψε το· σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ (l. l. Schol. LXXII. coll. Refut.).
XXIV. 25 sq. Jesus redivivus Cleopam et comitantem	XXIV. 25 sq. παρέκοψε τὸ εἰρημένον πρὸς Κλεόπαν καὶ τὸν ἄλλον ὅτε συνήντησεν αὐ-

(1) In Refutatione ad ipsum hocce Scholion (p. 345) Epiphanius: ταῦτο περιεῖλε — inquit — καὶ ἐρραδιούργησεν, ἵνα δῆθεν μὴ ποιήσῃ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ βρωτὰ ἢ ποτά.

(2) Ἵνα δῆθεν — Sic pergit Epiph. — ποιήσῃ τὰ ἐν τῷ νόμῳ μὴ ἔχοντα τόπον ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

(3) διὰ τό· καὶ τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι, τὸ καὶ μετὰ ἀνόμων συνελογίσθη (vs. 37). — Cett. sublatis vss. 35—37 etiam vs. 38 locum suum vindicare non amplius posse, jure post Eichhornium observavit Hahnius l. l. p. 209.

Euangelium Lucae.	*Euangelium Marcionis.*
eum discipulum increpat.	τοῖς τὸ ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τοῦ πιστεύειν πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν οἱ Προφῆται. οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν; καὶ ἀντὶ τοῦ ἐφ' οἷς ἐλάλησαν οἱ Προφῆται, ἐποίησεν, ἐφ' οἷς ἐλάλησα ὑμῖν (l. l. Schol. LXXVII).
XXIV. 39 usque ad finem libri.	Marcionem loci XXIV. 39 genuinitatem agnovisse diserte monet Epiphanius, l. l. Schol. LXXVIII. — Ex reliqua autem hujus Capitis parte nulla verba citavit, ut dubium sit, an nonnihil horum in Codice haeretico invenerit. Eum *non omnia* apud Marcionem legisse, quae postrema Euangelii Lucani parte continentur, patet ex iis, quae scripsit l. l. p. 811: *ἠκρωτηρίασται* (liber scil. Marcionis) *μήτε ἀρχὴν ἔχων, μήτε μέσα, μήτε τέλος.*

Enumeratis locis, quos a Marcione aut sublatos aut adulteratos saltem esse tradidit nobis Epiphanius, superest, ut hujus effata cum Tertulliani testimoniis comparemus. Quodsi igitur haec duo rite teneamus: *primo loco* Tertullianum, cui Marcionem ex ipsius hujus Euangelio refutare propositum erat (1), ea tantum citasse, quae apud adversarium suum invenisset, de quorum genuinitate igitur nulla ipsi esset cum illo controversia, cetera vero silentio praetermisisse; *altero loco*, eum persaepe, fere semper immo proprio quodam scribendi compendio usum fuisse, quo

(1) Adv. Marc. IV. 6.

factum est, ut singula, quibus redarguere Ponticum constituerat Euangelii capita, uno duobusve verbis indicaverit potius, quam citaverit (1), — patebit nobis:

1° Tertullianum non memorasse, neque igitur, ut videtur, legisse in Marcionis Euangelio sequentia haecce Lucae capita s. capitula, quae a Pontico sublata esse, Epiphanius quoque tradidit, Luc. I—IV. 16 (exceptis iis quae habentur III. 1[a]); VIII. 19; XI. 29—32, 49—51; XII. 6 sq.; XIII. 1—9, 29—35; XV. 11—32; XVIII. 31—34; XIX. 29—46; XX. 9—18, 37 sq.; XXI. 21 sq.; XXII. 16, 35—37, 49—51; XXIV. 44—53 (2).

2° Tertullianum in easdem, in quas Epiphanius, in textu Marcionitico lectionis discrepantias offendisse: Luc. V. 14, (ὑμῖν pro αὐτοῖς) IX. 30 sq. (3); X. 21, 25; XI. 42; XII. 8 sq.; XIII. 28; XVII. 11—19 (4); XVIII. 37; XXI. 18; XXII. 3 sq.; XXIV. 25 (5).

3° Tertulliani et Epiphanii testimonia inter se pugnare, aut saltem non ex omni parte consentire: Luc. V. 14 (τὸ δῶρον abstulisse Marc. ab Epiph. ac-

---

(1) Cf. Ritschl. l. l. p. 40.

(2) Horum saltem vss. nulla apud Tertullianum mentio fit, nisi quod Jesus ab illo memoretur *Apostolos misisse ad praedicandum universis nationibus* (vs. 46 sq).

(3) Cf. Hahn, l. l. p 153 sq.

(4) Quod scil. ad Luc. IV. 27 attinet, quem locum huc transtulisse Marcion ab Epiphanio accusatur. Vid. supr.

(5) Nimirum omnes hi loci eodem plane modo a Tertulliano excitantur, quo eos a Marcione corruptos fuisse Epiphanius perhibet.

cusatur; contra, Tertull. vocem illam reddidit scribendo: » offer *munus* quod praecepit Moyses" adv. Marc. IV. 9); VI. 1—4, 17, 25; XII. 28; XVIII. 19, 20; XX. 1b—8 (1).

4° Incertum esse propter silentium, quod observatum ab eo videmus, quomodo Tertullianus sequentibus locis, quos a Marcione depravatos esse affirmat Epiphanius, in haeretico libro legerit: Luc. IX. 40 (2); XII. 32, 38, 50; XIV. 26; XVII. 10; XXII. 30; XXIII. 2, 43.

Pergendum jam est ad aliorum locorum genus, eorum nempe, qui ab Epiphanio quidem non memorantur, at quos vel sic tamen silentio a Tertulliano praetermissos videmus, aut quos alio sensu, aliisve verbis, quam in canonico Lucae Euangelio, in libris hujus antimarcioniticis citatos invenimus. Sequitur itaque:

(1) Siquidem statuendum est Epiphanium hujus loci expunctionem Marcioni crimini dedisse, qua de re vid. supr.

(2) Tertull. (adv. M. IV. 23) Luc. IX. 37—45 hisce paucis duntaxat verbis laudavit: » Stet Christus Marcionis et *exclamet: o genitura incredula, quousque ero apud vos? quousque sustinebo vos?"*

A. *Index locorum, quos insuper silentio praetermisit Tertullianus.*

Profecto catalogus hicce inspiciendus tantum est, ut persuadeatur nobis, non omnes, quos silentio a Tertulliano praetermissos videmus, locos, in Euangelio Marcionis deesse potuisse. At num aliquot eorum, et quinam igitur defuerint, quaeritur. Cui quaestioni ut respondeamus, sane non recurrendum est nobis ad hypothesin Hahnianam, secundum quam cuncta, quae cum Marcionis placitis aliquo modo pugnare dicenda sunt, hanc ob rem a Tertulliano non commemorari putantur, quod in Euangelio Pontico ea non invenerit. Scilicet hoc agendo ponimus, quod ipsum probandum est, Marcionem nempe, ut Tertullianus ait, *contraria sententiae suae erasisse, competentia autem servasse.* Sunt autem aliae quaedam notae, quibus loci s. laudati magis minusve a se invicem distinguantur, ad quas haud frustra, ut videtur, provocaverimus.

Quod *primum* observetur, plures sunt loci, quos hanc ob causam Tertullianus fortasse non tetigit, quod ansam ad refellendum Marcionem exinde capere non posset, vel quod jam antea se de similibus disputasse memor esset. Quo refero: Luc IV. 36 sq., 38 sq.; VI. 32 sq.; IX. 49 sq ; X. 29—37, 38—42; XIV. 1—6; XVIII. 15—17, 26—30; XX. 45—47 (cf. XI. 45).

Secundo loco attendendum nobis est in nexum orationis, quippe qui subinde non tam postulare, quam flagitare videtur, ut locus a Tertulliano silentio praetermissus in Euangelio Pontico exstiterit. Cogite:

Luc. VIII. 40—42*, 49—56 (1); XIV. 7—11, 15.

Tertio loco in censum quoque venire meretur Epiphanii testimonium, non directum illud, sed, ut ita dicam, indirectum, quum probabili nonnunquam ratione exinde effici liceat, Marcionem servasse aliquot locos, qui ne verbo quidem a Tertulliano memorantur. Pertinent huc:

Luc. XII. 32-34, quem locum in Euangelio Marcionis exstitisse, eo probatur, quod vs. 32 apud Epiphanium occurrit (2).
» » 50, quae verba cum aliqua tantum mutatione Epiphanius citavit (3).
» XIV. 25-35, de quo loco idem valet, quum vs. 26 ab Epiphanio laudetur (4).

Praeterea etiam: Luc. XVIII. 5—10; XXII. 16—18, 23—30; XXIII. 39—43, quos singulos locos se ex parte saltem in Euangelio Marcionis reperiisse hoc modo testari videtur Epiphanius, quod singulis illis unum vs. eum detraxisse diserte et nominatim adversario suo objiciat (5). Aut quid causae esse potuit, cur de ceteris taceret, si haec quoque in haeretico Euangelio deesse compertum habuisset? (6).

(1) Cf. Ritschl. l. l. p. 59.
(2) Schol. 34. p. 335.
(3) Cf. supra p. .
(4) In Refut. ad Schol. 78. p. 347.
(5) Uu supra edim vidimus, Marcion, si Epiphanius audiendus est, παρέκοψε: XVII. 10; XXII. 16, 30, XXIII. 42.
(6) Plane aliter de hisce locis judicavit Ritschelius, l. l. p. 51 sq. Nec certe negari potest, Epiphanium subinde, compendio quodam scribendi usum, aut aliam ob causam, unius tantum vs. absentiam indicasse, etsi nil certius sit, quam vs. istum non solum defecisse in libro Marcionis. Sic v. g. dubitari vix

Supersunt igitur *quarto loco* sequentia capitula s. vss. VII. 29—35; IX. 49 sq.; X. 12—15; XXI. 1—4, 36; XXII. 42—44; XXIII. 26—31, 34, 47—49; XXIV. 10. Hos locos, praesertim tres priores in Marcionis codice defuisse, silentio Tertulliani non certo quidem probatur, at eo probabilius tamen redditur, quo magis in explicandis hujus silentii causis nobis laborandum est.

B. *Index locorum, quos aliquo modo a Marcione immutatos esse Tertullianus indicavit.*

Luc. IV. 16-30 sequebantur apud Marc. ea, quae IV. 31-37 narrata sunt.

» » 31. Tert. apud Marc. legisse videtur: *ὁ θεὸς κατῆλθεν.*

» » 34. Ita citatur ac si vox *Ναζαρηνέ* a Marcione omissa fuerit. Cf. V. 6.

» IX. 30 sq. Marc. videtur legisse: *καὶ ἰδού ἄνδρες δύο* (non *συνελάλουν* sed) *συνέστησαν αὐτῷ — ἐν δόξῃ αὐτοῦ* erasisse porro, quae vs. 31 de Servatoris exitu habentur (1).

» X. 22. Tertull. hunc vs. ita citavit, ac si Marc. legerit: *ἔστιν ὁ πατὴρ εἰ μὴ ὁ υἱὸς — καὶ τίς ἐστιν ὁ υἱός εἰ μὴ ὁ πάτηρ.*

Luc. X. 24. Tertull.; » Dico enim vobis, quia prophetae non viderunt, quae vos videtis."

» XI. 1. Marcion habebat: *προςευχόμενον τῷ πατρί.*

» » 2. Pro: *ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου* Marc. legisse videtur: *ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σου, καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς* (2).

» » 42. Tertull. non laudavit verba: *ταῦτα ἔδει ποιῆσαι κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι* s. *παρεῖναι.*

» XII. 4. Tertull. huncce vs. re-

---

potest, quin locum XII. 6 sq. illic non invenerit, etiamsi unum duntaxat vs. 6 defuisse testatus sit. Plura tamen obstare, quominus, quod ad locos supra laud. attinet, Ritschelii sententiam nostram faciamus, ipse nos docet modus, quo Epiphanium de iis scripisse, in antecedentibus videmus.

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 154.

(2) Cf. Hahn, l. l. p. 162 *).

tulit, ac si pro: τὸ σῶμα in Euang. Marc. scriptum fuerit: ὑμᾶς.

Luc. XII. 51. Marcion culpatur quod: διαμερισμὸν non: μάχαιραν legere jussit.

» XV. 10. ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ pro ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων.

» XVI. 12. Pro: ὑμέτερον Marcion legendum proposuit: ἐμὸν vel ἡμέτερον.

» » 16. Tertull. non citat verba: καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.

» » 17. Pro: τοῦ νόμου μίαν κεραίαν Marc. scripsit: τῶν λόγων τοῦ Κύριου κεραίαν.

» XVII. 2. Post: λυσιτελεῖ αὐτῷ Marc. adjecit: εἰ μὴ ἐγεννήθη ἤ.

» XVIII. 8. Non laudantur a Tertull. verba: πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου — ἐπὶ τῆς γῆς.

» XIX. 9. Non habuisse videtur Marc. verba: Καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν.

Luc. XX. 35. Pro: οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος τυχεῖν. — Marc. scripsisse fertur: οὓς δὲ καταξίωσεν ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος ἐκείνου, τυχεῖν (καὶ) τῆς ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν.

» XXI. 27. Omisisse videtur Marc. verba: καὶ δόξης.

» » 32. Tertull. haec verba citat, ac si Marcion legerit, non: ἡ γενεὰ αὕτη — sed: ὁ οὐρανὸς καὶ γῆ.

» XXIII. 24. Tertull.: » Vestitum," inquit, » a militibus divisum Marcion abstulit."

» XXIV. 37. Marcion pro: πνεῦμα scripsit: φάντασμα.

» » 39. Caruisse videtur Euangelium Marcionis verbis: ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, nec non iis, quae mox sequuntur: σάρκα καὶ

Quod ad mutationes hasce attinet, monendum est, Tertullianum earum nonnisi *tres* (XII. 51, XX. 35 et XXIII. 34) disertis verbis indicasse. Exinde quidem non sequitur, in ceteris minorem ei fidem esse habendam; at sequitur, oportere nos prudenti consilio agere, ne Marcioni in culpam vertamus, quod potius adversario ejus, parum accurate citanti tribuendum sit (1).

(1) Ritschl. l. l. p. 42 sqq.

Dignum sane quoque est, quod animadvertatur, Epiphanium nullam prorsus mutationum, de quibus sermo est, mentionem injecisse, etsi etiam hoc argumento Tertulliani auctoritas non continuo labefactari videatur, quum notum sit, Epiphanio non hoc fuisse propositum, ut omnia, sed ut praecipua notaret, quibus Marcionis Euangelium a Lucano diversum esset (1). Quod autem hac in re summum videtur, inter ipsos, quos nunc spectamus, locos probe distinguendum est.

Primo nempe *loco* monemus, Tertullianum absque ulla causa vituperasse Marcionem, quod hujus textus XII. 15: διαμερισμὸν non: μάχαιραν exhibeket, quum lectio ista e contrario una vera sit (2).

Deinde observatum volumus, Tertulliani testimonia cum iis, quae nobis praebuit Epiphanius, non *semper* in concordiam redigi posse. Marcionem IX. 30 legisse, non: συνελάλουν, sed: συνλαλοῦντες αὐτῷ, docet nos Tertullianus, quum tamen canonica lectio apud Epiphanium servata sit. Sic quoque verba XVI. 16: καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, quae ab Epiphanio citantur, silentio praetermisit Tertullianus. Sic denique de XXIII. 34 agens: » vestitum," inquit Tertullianus, » a militibus di» visum (Marcion) abstulit," — licet nil certius videatur, quam Epiphanium integrum huncce vs. in Euangelio Marcionis invenisse (3).

(1) Ritschl. l. l. p. 40.
(2) Hahn, l. l. p. 99 sq. 174.
(3) Cf. tamen Hahn, l. l. p. 213 sq.

Nonnulli *porro* sunt loci, qui alia quidem ratione a Tertulliano citantur, quam qua apud Lucam occurrunt, at *obiter* tantum ab eo tanguntur, ut dici vix possit, utrum diversitas quaedam reapse in illis obtinuerit, nec ne, quo referendos censeo: X. 22, 24; XI. 1, 42; XII. 4; XV. 10; XVI. 16; XVII. 2; XVIII. 8; XXIV. 37.

Ab hisce *tandem* distinguantur loci, mutationibus quibusdam conspicui, quae, nisi de industria, *satis* saltem perspicue ab illo denunciatae sunt, aut quae ansam ei ad refutandum Marcionem praebuerunt, aut denique defectu quorundam consistunt verborum, quibus sine dubio in disputando usus fuisset, modo invenisset ea in euangelio, quod impugnabat, haeretico. Huc pertinere censeo: IV. 31, 34; inversum, quo sibi succedebant IV. 31—37 et IV. 16—30, ordinem; defectum plurium verborum in narratione postremo loco citata; porro: IX. 31; XI. 2; XVI. 12, 17; XIX. 9; XX. 25; XXI. 27, 32; XXIV. 39.

Atque sic jam perlustratis praecipuis veterum testimoniis, rationes quodammodo computare nobis licebit. Apparet nempe e disputationibus nostris aut certo, aut magna cum veri specie:

1°. Defuisse in Marcionis Euangelio: Luc. I—IV. 15 (exceptis iis quae leguntur III. 1[a]); VII. 29—35; VIII. 19; X. 12—15: XI. 29—32, 49—51; XII. 6 sq.; XIII. 1—9, 29—35, XV. 11—32; XVIII. 31—34;

XIX. 29—46; XX. 9—18, 37 sq.; XXI. 1—4, 21 sq., 36; XXII 16, 35—37, 42—44, 49—51, XXIII. 26—31, 34, 45, 47—49; XXIV. 10, 44 sq., 48—53.

2°. Euangelia insuper Marcionis et Lucae inter se discrepasse his locis: IV. 16—30, 31, 34; IX. 50 sq.; X. 21, 25; XI. 2, 42; XII. 8 sq.; XIII. 28; XVI. 12, 17; XVII. 11—19; XVIII. 37; XIX. 9; XX. 35; XXI. 18, 27, 32; XXII. 5 sq.; XXIV. 25, 39.

3°. Non diversa vero illa inter se fuisse, quod ad hos locos attinet: V. 14; VI. 1—4, 17, 23; XII. 28, 32, 38, 30, 31; XVIII. 19, 20; XX. 1—8 (1); IV. 36 sq.; VIII. 40—42a, 49—56; XIV. 7—11, 15, 23—35; XVII. 5—9; XXII. 17 sq., 25—29; XXIII. 39—42.

4° Non satis firmum judicium a nobis ferri posse de locis sequentibus: IX. 40; XIV. 26; XVIII. 10, XXII. 30; XXIII. 2, 43; neque etiam de his; IV. 38 sq.; VI. 32 sq.; IX. 37—40, 49 sq., 42—45; X. 29—37, 38—42; XII. 33 sq.; XIV. 1—6; XVIII. 15—17, 23—25, 26—30; XX. 45—47; nec denique de his: IX. 50; X. 22, 24; XI. 1, 42; XII. 4; XV. 10; XVI. 16; XVII. 2; XVIII. 8, 20; XXIII. 34; XXIV. 37; — ita tamen inter eos esse distinguendum, ut Marcionem probabiliter a Lucae auctoritate

(1) Discrepantiae, in quas Epiphanii auctoritate nisi, nonnulli his locis offendere sibi visi sunt, aut a patre isto plane non memorantur (ut XX. 1—8), aut varietati lectionis tribuendae sunt (qua de re deinceps plura), aut a serioribus demum Marcionitis introductae videntur. Cf. Hahn, l. l. p. 180, et quae scripsi supra.

recessisse statuamus locis, quos disertis verbis indicavit Epiphanius: IX. 40; XVII. 10; XXII. 16, 30; XXIII. 2, 43 (1); non vero recessisse locis, qui, utpote doctrinae ejus non adversantes, nullam ad disputandum ansam Tertulliano praeberent, quales sunt illi quos supra enumeravimus (2).

Superest, ut etiam in V. V. Doctorum, qui Euangelii Marcionitici formam indagarunt, sententiam inquiramus. Quum vero ipsa illa sententia jam prius (Pars I. § 2, II. § 3) a nobis descripta sit, l. l. eam cum nostra comparasse, et, quoties id necessarium videtur, argumenta, quibus superstructa est, ponderasse sufficiet.

Quod igitur ad Hahnium attinet (3), prae nimia fiducia Tertulliani profitentis, Marcionem ea, quae haereticis ipsius placitis contraria essent, neque interpretando cum hisce in concordiam se redigi paterentur, erasisse, aut saltem mutando atque interpolando adulterasse, — Vir ille doctus, hic illic in Euangelio Marcionis nonnulla defuisse, nonnulla etiam textus in eo

(1) Etsi etiam inter hos fortasse reperiantur, qui seriorum Marcionitarum adulterantem manum prodant, quod verosimilitate tamen caret.

(2) Ceterum animadvertatur, hoc judicium etiam aliunde nonnunquam confirmari. Sic v. gr. locum XVIII. 15—17 in Euangelio Marcionis extitisse, inde apparet, quod v. 16 in Dialogo de recta fide (Sect. I. p. 25. Edit. Wetst.) citatur.

(3) Nam de Olshausenio aliisque ejusdem sententiae fautoribus non opus est, ut peculiariter dicamus.

obtinuisse discrimina statuit, de quibus non plane cum eo convenio. Ut alios paucos taceam, de quibus saltem dubitari licet, utrum in Euangelio Marcionis nec ne exstiterint, provoco ad XIV. 15, XVII. 5—9, XXII. 17 sq., quos singulos locos a Pontico servatos fuisse, nostra sententia est, auferendos vero ei et reapse sublatos e Tertulliani silentio probasse sibi visus est Hahnius ostendendo, singulis iis aliquid inesse, quo Theologicis s. asceticis Marcionis placitis repugnarent. Lubenti tamen animo confiteor, perraro ita obtinuisse, ut ab Hahnio differendum mihi esse videretur. Solummodo quod ad viam attinebat, qua, his nostris temporibus, V. V. Doctorum dubiis occurrendum esset, coactus fui ad aliquantulum ab eo recedendum. Cujus officii mei partes implere conatus sum, non hoc imprimis rogando, utrum locus aliquis Marcionis, quod aiunt, systemati magis minusve consonare dicendus sit, sed quid patrum testimonia, accuratiore inter illa comparatione instituta, hac de re nos edoceant. Haec causa fuit, ut dixi, cur ab Epiphanio, non a Tertulliano exordiendum putaverim, ut scilicet certiora fundamenti quasi loco nobis essent, quo minus certa niterentur. Neque aliam ob rem nonnunquam proprio judicio abstinere malui, quam ob hanc, quod veterum testimoniis judicium illud non satis confirmari videretur, quamquam longe ceteroquin absit, ut, si meam sententiam quaeras, ab Hahnii auctoritate in hisce quoque recedendum esse existimem.

In multo sane plures dissidii causas offendimus, simulac

nostra cum Ritschelii aliorumque argumentis componamus. Ex horum scilicet sententia:

1°. Aliquot in Marcionis Euangelio desiderabantur loci, de quorum absentia nobis non aeque persuasum est. Pertinent huc:

Luc. IV. 38 sq., ubi Jesus Petri socrum sanasse narratur, quem locum nullam aliam ob causam praetermisisse videtur Tertullianus quam ob hanc, quod exinde nil praesidii contra Marcionem peti ab ipso posset.

» XII. 33 sq., ubi Jesus discipulos ad voluntariam paupertatem hortatur. At Epiph. ut supra vidimus, vs. proxime antecedentem sat arcte cum hisce cohaerentem citavit, ut mirum foret, eum quam spectamus omissionem non animadvertisse. Ceterum, quod Tertull. horum vss. nullam mentionem injicit, ex eorum indole dogmatica satis superque explicatur.

» XVII. 7—10. Ubi Christiani cum servis et quidem ἀχρείοις δούλοις comparantur, vs. 10 probabiliter defuisse in Marcionis Euangelio supra diximus. At quominus idem de praecedentibus statuamus, prohibet nos ipsius Epiphanii, de absentia vs. 10 lectores suos diserte admonentis, auctoritas. Neque etiam video, cur, Ritschelius quod vult (1), uno vs. 10 resecto, etiam ceteros vss. resecare oportuerit.

» XXII. 16—18. Verba quaedam Jesu ad coenam paschalem spectantia. Locus hicce multis numeris quadrat cum eo, quem modo spectavimus. Epiphanius tantum vs. 16 defuisse refert. Neque aliter judicandum videtur de

» » 24—30, ubi de discipulorum ambitione sermo fit. Vs. 30, quam Epiph. defuisse indicat, non adeo arcte cum ceteris cohaerere videtur, ut hi sine illo locum suum tueri non potuerint.

» XXIII; 39—43. Latro poenitens. Etiam de hacce narratione idem plane valet. Nil defuit praeter vs. 43, cujus absentiam Epiph. tot verbis testatus est.

2° Aliquot in Marcionis Euangelio exstiterunt capitula, quae haud sane minori jure ei defuisse cense-

(1) l. l. p. 51.

mus. — Tertullianum narrationem de vidua paupere, donum creatori offerente, atque hanc ob rem a Conservatore laudata (XXI. 1—4), non silentio praetermissurum fuisse, modo legisset illam apud adversarium suum, quidquid dicat Ritschelius (1), admodum mihi videtur probabile.

Luc. XXIII. 27—31 seu potius 26—31 defuisse, etsi *certis* rationibus evinci fortasse non possit, satis tamen mihi persuasum est. Ipsum Ritschelium laborantem videmus in explicando Tertulliani silentio. Neque juvat eum ad alios quosdam locos provocare, ut horum ope verosimile reddatur, vss. istos in Marcionis Euangelio exstitisse. *Primum* enim vs. 35 aeque minus ac vs. 48 mentio fit *mulierum*. Has enim adfuisse, non probari potest e vs. 27, quum toti huic vs., licet Ritschelius ad eum provocare videatur, eadem cum ceteris usque ad vs. 31 sors obtingat, necesse sit. *Deinde* saltem vs 35 ne verbo quidem luctus et poenitentia populi memorantur. Quod *οἱ ὄχλοι* postea (vs. 48) tristem Jesu exitum plangebant, id profecto non probat, eos jam

(1) Jesum scil. non ipsum sacrificandi actum laudasse, multasque insuper Marcioni patuisse vias ad verba Domini ita interpretanda, ut cum placitis suis pugnare desinerent. At hinc non sequitur, Tertullianum ad actum istum non provocaturum fuisse, si mentionem ejus factam invenisset. Contrarium potius patere videtur e loco, quem in suae opinionis gratiam citat Ritschelius Luc. V. 14. quum Tertull. ad hujus loci sensum provocare videamus, etiamsi sciret, Marcionem ei sensum substituisse, congruentem quidem cum placitis ipsius haereticis, sed ab omni veritate et sinceritate remotum.

prius ejusdem erga eum animi specimina edidisse (1). *Denique* imprimis animadvertendum est, locorum rationem plane esse diversam. Scilicet, Tertullianum de loco 27—31 siluisse hanc ob rem, quam maxime mirum est, non quod mulieres Jesu sortem lugerent, sed quod ipse Conservator eas tali modo allocutus sit, qui si rogares Marcionem cum bonitate Dei Patris conciliari vix posse videretur. Equidem sane non valde dubito, quin minas istas (vs. 28—31, cf. X. 12—15) arrepturus fuisset ad commenta adversarii sui destruenda, modo in legendo hujus Euangelio in illas offendisset (2).

Minus etiam probandum censeo, quod statuit Ritschelius, locum XXIII. 47—49 in Marcionis Euangelio exstitisse. Concedo quidem τοῖς γνώστοις h. l. non significari *affines* Servatoris, ut perperam hanc vocem ab Hahnio videmus explicatam (3). Nec profecto eadem est causa, cur vs. 47 et simul cum hoc duos sequentes vss. defuisse statuamus. At Centurionis saltem verba urgenda mihi videntur. Tertullianum haec verba tacuisse, quod corpoream Jesu naturam s. » carnis Christi veritatem" probaturus, argumentis, ex hujus supplicio ac sepultura petendis, nimis

(1) Ne dicam sic poni quod probandum est, vs. 48 genuinitatem a Marcione fuisse agnitam. V. infr.

(2) Nil de vs. 26 dicere opus mihi visum est, etsi monere fortasse non supervacaneum sit, vix aliter fieri potuisse, quin etiam mentio illa Simonis crucem Jesu ferentis, Marcioni perquam invisa fuerit. Tertullianus saltem ea facile usus fuisset ad retegendos et impugnandos doceticos haereticorum errores.

(3) l. l. p. 214.

occupatus esset, contendit Ritschelius. At mea vice quaero, cur igitur etiam ille, quod e centurionis testimonio peti posset argumento contra Marcionem uti noluerit? Immo, quum tam multus sit in explicanda voce: ἐξέπνευσεν (vs. 46), miror quidni potius hoc testis oculati suffragium ad refutandum adversarium suum adhibuerit.

5º Discrepantiarum, in quas in textu Marcionitico, collato illo cum Lucae Euangelio Canonico, Hahnius aliique offendere sibi visi sunt, longe maximam partem ejusmodi generis esse statuit Ritschelius, ut sive e varietate lectionis, sive e calami vitiis, sive alio modo explicandae sint, minime vero Marcionis et Lucae Euangelia reapse et proprie a se invicem diversa fuisse probent.

Convenio cum eo de his locis: V. 14 (ὑμῖν pro αὐτοῖς, quae lectio etiamnunc in pluribus Codd. exstat); VI. 17 (ἐν αὐτοῖς pro μετ' αὐτῶν, quae dicendi formulae idem plane significant) VI. 25 (ὑμῶν pro αὐτῶν); XII. 38 (ἐν τῇ ἑσπερινῇ φυλακῇ pro ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ V. L.); ibid. vs. 50 (καὶ τί θέλω εἰ ἤδη τετέληκα αὐτό; pro: καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ (1).

Neque etiam ei obloquendum esse censeo, quod ad hosce attinet locos; X. 21 (ubi vocem πάτερ defuisse refert Epiphanius), XI. 1 quem vs. Tertull. fortasse minus accurate citavit, ac si scriptum esset:

(1) Cf. de hoc discrimine, ab Epiph. notato, Hahn, l. l. p. 173 *).

προςευχομένου τῷ πατρί), vs. 2 (*ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σου καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς* pro: *ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου* (2)); XII. 8 sq. *ἐνώπιον* pro *ἔμπροσθεν*, et *τοῦ θεοῦ* pro: *τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ* (V. L. cf. etiam XV. 10 ubi idem discrimen cernitur); ibid. 28, (ubi Epiph. refert defuisse verba: *ὁ θεὸς ἀμφιέννυσι τὸν χόρτον*, quae tamen citantur a Tertulliano); XVII. 2, (quem vs. sic citavit Tertull., ac si in Marc. Euang. post *λυσιτελεῖ αὐτῷ* legeretur, *εἰ μὴ ἐγεννήθη* cf. Matth XXVI. 24); XVIII. 20, (*οἶδα* pro *οἶδας*, quam tamen discrepantiam, ab Epiph. notatam, Tert. non invenisse videtur).

At sunt tamen aliquot loci, de quorum explicatione non aeque cum Ritschelio convenio.

IX. 40. Verba *καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν* defuisse diserte tradit Epiphanius. Fieri quidem potest, ut non ipsi Marcioni, sed discipulis ejus omissio haecce tribuenda sit; at *fortuitam* eam cum Ritschelio vocare vereor, simulac sensum verborum specto, parum sane honorificum illum Christi Apostolis.

X. 25. Vocem *αἰώνιον* post *ζωὴν* defuisse tam manifesto testatur Tertullianus, ut hac de re ne dubitari quidem possit (2). Utrum Marcion eam perverse a catholicis additam fuisse judicaverit, an alias ob causas eam delendam esse censuerit, parum differt. Certe de lectionis varietate quam dicimus h. l. cogitari nequit.

XI. 42. Marcionem *τὴν κλῆσιν* pro *τὴν κρίσιν* legisse Epiphanius tradit, confirmat Tertullianus. Neque juvat Ritschelium ad calami vitium h. l. provocare. Jam sane mirum foret, et Tertullianum et Epiphanium idem

(1) Cf. Hahn, l. l. p. 162 *), et Ritschl. l. l. p. 71.

(2) Eo minus, quum etiam Epiph. hunc vs. ita excitaverit, ac si non de *aeterna* vita sermo in illo fieret.

plane vitium offendisse. At magis etiam mirum, Lucae textum h. l. iam et forte ita fuisse corruptum, ut, si Marcionis placita spectes, ipso vitio emendatus potius quam vitiatus videatur.

XIV. 26. *καταλείψῃ* pro *μισεῖ*, XVI. 12, *ἡμέτερον* s. *ἐμὸν* pro *ὑμέτερον*, XXIII. 2, adjectiones quaedam et XXIV. 37 *φάντασμα* pro *πνεῦμα* legisse perhibetur Marcion. Neque is ego sum qui negaverim, h. l. de lectionis varietate cogitari saltem posse. At vel sic tamen non praetermittendum videtur, lectiones, quibus Ponticus usus est, plane Marcioniticum referre colorem. Profecto haud sine jure jam suspicatus fuit Hahnius, hanc causam fuisse cur Marcion hic illic a textu canonico recesserit (1).

Nonnunquam etiam ad parum accuratam, qua Tertullianus usus est, citandi rationem provocari posse censuit Ritschelius, ut discrepantiae, de quibus agitur non verae, sed fictae et simulatae, appareant (2).

Luc. XX. 35. *οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν.* Tertull. haec verba sic reddidit: quos vero dignatus sit Deus illius aevi possessione, Ponticum *aevi* notionem ad *Deum* traxisse, ut de *Deo illius aevi* apud eum sermo esse videretur. Hinc exorsus Hahnius putavit Marcionem scripsisse: *οὓς δὲ κατηξίωσεν ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν (καὶ) τῆς ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν* (3). Objicit Ritschelius verba: *quos dignatus sit* etiam aliam pati translationem, quae magis cum Lucae textu congruit. Contendit nempe Marcionem scripsisse, *οἱ δὲ καταξιωθέντες ὑπὸ τοῦ θεοῦ κ. τ. λ.* — Res est admodum parvi momenti, de qua ut fuse disputemus non opus est.

» XVI. 17. Hahnium Tertulliani verba prave ita intellexisse, ac si Marcion scripsisset: *εὐκοπώτερον δὲ ἐστιν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ὡς καὶ ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται* Ritschelio concedendum est. Adjecta: *sicut et lex et prophetae* ipsius Tertulliani sunt, ad ea quae vs. 16 de lege et prophetis dicta erant, respicien-

---

(1) l. l. p. 185 d). — p. 212 y). (2) l. l. p. 42 sqq.
(3) Thilo, Codex Apocr. I. p. 467.

tis. Neque aliam ob causam fictae hujus non verae mutationis nulla a nobis mentio supra facta est.

XXI. 27. Verba *μετὰ δόξης πολλῆς* a Tertull. non citantur. At vel sic tamen ea non defuisse in Marc. Euangelio putat Ritschelius, quicquid ad causam talis omissionis probabilem reddendam ab Hahnio in medium prolatum sit. Errat autem, dicens, verba ista sequentium necessario nexu postulari. In Daniëlis certe Vaticiniis, paulo post a Tertull. citatis, *de gloria* Domini ad judicium redeuntis sermonem esse, hoc nullo modo probat; aut si probet, minus etiam intelligitur, cur Tertull. ipsa illa textus Marcionitici verba, ad quae Ritschelius putat mentionem *gloriae* respexisse., in citando omiserit.

X. 24. Tertullianus hunc vs. latine ita reddidit ac si Graece scriptum esset: *λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι προφῆται οὐκ εἶδον, ἃ ὑμεῖς βλέπετε.* Ritschelius ostendit, Marcionem vel sic tamen nihil mutasse, sed locum parum accurate a Tertulliano fuisse translatum; quod ut probet, mox ad verborum: *καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε καὶ οὐκ ἤκουσαν* omissionem provocat. Observanda est tamen parva hujus argumenti vis, quum ejusmodi omissio e consuetudine Tertulliani facile explicetur, non vero aeque facile intelligatur, quomodo ipse verborum sensus ab eo perverti potuerit, eo minus quod negari nequeat, verba, qualia apud illum exstant, multo magis Marcionis doctrinae convenire, quam qualia in Lucae Euangelio servata sunt. Tandem venit

XXI. 32 sq. quos vss. hoc modo citavit Tertullianus: »Adhuc ingerit, non *transiturum coelum ac terram*, nisi omnia peragantur. — Transeat age nunc *terra et coelum*; sic enim dominus eorum destinavit, *dum verbum ejus maneat in aevum.*" Hahnius itaque putat Marcionem vs. 32 legisse: *οὐ μὴ παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ κ. τ. λ.*, non vero quod apud Lucam legitur: *ἡ γενεὰ αὕτη.* Ritschelii contra sententia est, Tertullianum, similitudine verborem *παρέλθῃ* (vs. 32) et *παρελεύσονται* (vs. 33) in errorum inductum, in priore vs. citando jam quasi praeripuisse, quae ad vs. posteriorem proprie pertinerent. Quod sane fieri *potuisse* non negatum velim, at reapse factum esse mihi non adeo probabile videtur, ut recedendum esse censeam ab Hahnii conjectura, secundum quam verba *ἡ γενεὰ αὕτη* in Marcionis Euangelio non exstiterunt (1).

---

(1) l. l. p. 202.

§. IV.

Discriminis, quod Lucae inter et Marcionis Euangelium intercedebat, investigatur causa.

Discriminis, de quo videmus, causam in eo esse quaerendam, Marcionem, quaecumque in Lucae Euangelio contraria sibi invenisset, quaeque in suum convertere usum frustra esset conatus, tamquam spuria delevisse, ab antiquis traditur, nec non communis fuit V. V. D. D. sententia usque ad Semlerum et Eichhornium. Ex horum vero conjectura, quam plures deinde amplexi sunt, proprium quendam librum adhibuisse Ponticum, supra diximus, nec non de argumentis, quibus Schweglerus imprimis et Ritschelius eam tuiti sunt, fusius paulo disputavimus (1). Jam litem inde exortam gravissimam diremturis, duae praesertim quaestiones solvendae nobis erunt, quarum *prima* est: utrum sufficiens causa sit, cur a vulgari sententia cum nonnullis recedamus? *altera:* utrum iis sit adstipulandum, qui, internis ut aiunt, argumentis nisi, Marcionem non ipso Lucae Euangelio, sed antiquiori quodam libro, usum fuisse contendunt?

A vulgari sententia, si nonnullos audis, hanc ob rem recedere nos oportet, quod discrimen, quod Lucae inter et Marcionis Euangelia obtinet, explicare prorsus non valeat. Non valere autem dicunt, partim, quia Euangelio Pontico permulti insunt loci, quibus

(1) Pars II.

aeque minus ac ceteris ejusdem plane generis parciturus fuisset Marcion, si consilio cuidam dogmatico in expurgando textu obtemperasset; *partim*, quia ipsi illi libro defuisse quaedam traduntur, quorum eradendorum causa nulla omnino indicari potest. Videamus (1).

Comparat Schweglerus Luc. VII. 29—35, qui locus in Marcionis Euangelio desiderabatur, cum V. 25—35. At observetur *primum* hujus postremi loci vs. 29, ubi de *δοχῇ μεγάλῃ*, quam Levi paravit Conservatori, sermo est, a Tertulliano non memorari, adeoque dubitari saltem posse, utrum Marcion huic vs. pepercerit. Quod porro ad Pharisaeorum verba attinet: *διὰ τὶ μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε;* (vs. 30), animadvertendum est, haec potius ad curam, quam Jesus publicanorum et peccatorum agebat, quam ad lautam ejus vivendi rationem spectare. Summum vero est, plane diversae indolis locos hac opportunitate Schweglero comparari. Etenim quae Luc. VII. 29—35 leguntur, non hanc ob rem invisa fuisse Marcioni statuendum est, quod Jesus ibi *ἐσθίων καὶ πίνων* occurrit, sed quod Baptistam, plane ac si ejusdem Numinis legatus fuisset, sibimetipsi dicendo aequiparat. At contrarium obtinere videmus V. 29 sqq., quum h. l. Conervator cum ipsi sibi, tum discipulis suis omnia alia convenire dicat ac Joanni et Joannis asseclis — his nempe *τὸ νηστεύειν*, — *τῷ νυμφίῳ καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος* contra

(1) Cf. ad seq. Schwegler, l. l. I. p. 263 sqq.

τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν. Quam gravibus sane causis ad totum huncce locum servandum permotus fuerit Marcion, optime nobis patebit, si arctissimum ejus cum vss. sequentibus (36—39) nexum intuemur. Alium certe locum haud facile reperiemus, qui Marcionis de Veteris et Novi Foederis dissimili indole commentis magis quam hicce favere videatur.

Marcionem vs. VIII. 19 delevisse, retinuisse contra vs. 20, nil omnino habet quod miremur. Jam ipse Tertullianus (de Carne Chr. C. VII.) viam, qua Apelles, Marcion aliique Docetae posteriorem vs. cum erroneis suis de ficta Jesu natura humana placitis in concordiam redigere solebant, indicavit. Scilicet, secundum hos: „tentandi gratia nunciaverant ei matrem et fratres, *quos non habebat*;" quam tamen interpretationem vs. 19 non admittere patet nobis reputantibus, ipsum Euangelii auctorem illic de Jesu matre ac fratribus verba facere. Neque etiam omittendum est, Marcionitas eo potius servasse vs. 20, quo majori jure ad vs. 21 provocari ab ipsis posset, quum, ut novimus, hoc praesertim loco ad incorpoream Jesu naturam probandam uti consuevissent.

Vocem αἰώνιον X. 25 in Euang. Marcionis defuisse, certo certius est (1). Eam non defuisse XVIII. 18. Tertull. testatur. Quid causae et qualem igitur haereticus noster habuerit, cur, quod uno loco servaret, altero deleret, non facile dici potest. At dignum tamen est, quod animadvertatur X. 25 sermonem

(1) Vid. supra.

esse de νομικῷ quodam Jesum ἐκπειράζοντι, XVIII. 18 autem de viro ἄρχοντι, non solum observantiae erga Jesum pleno, sed inter ipsos hujus discipulos etiam recipi summopere gestiente. Offensioni sane esse potuit, immo debuit, Marcioni ejusmodi νομικὸν, alterius Dei, creatoris scilicet, cultorem consuluisse Jesum de vita *aeterna* legere, perinde ac si haec non ex omni parte incognita iis fuisset, qui sub legis imperio adhuc viverent. Tali vero offensioni locus non erat XVIII. 18, quum hic non solum non de legis quodam doctore ageretur, sed ipsa quoque magistratus Jesum interrogantis verba sat manifesto indicarent, eum legis promissis non contentum, aliam salutem sibi quaesivisse, quam quae vita ista *longaeva* constaret, cultoribus suis a Creatore ostensa, cumque hoc consilio Jesum adivisse, non ut legis praecepta sed ut meliorem edoceretur tramitem, qua voti sui compos fieri posset. Sic profecto ex observata ipsorum locorum diversitate, diversa, qua Marcion usus est, agendi ratio haud parum lucis accipit.

Componit porro Schweglerus XI. 29 sqq. (quem locum ob Jonae, Salomonis et reginae istius mentionem expunxisse fertur Marcion) cum VI. 5 sqq. (ubi discipulos suos, sabbathi legem violantes, excusat Conservator provocando ad exemplum Davidis) et VII. 27 (quo loco Jesus vaticinii cujusdam ope Baptistae laudes celebrat) (1). Respondemus *primum*, ceteroquin ad notas, ut ita dicam, characteristicas Euangelii Marcioni-

(1) Cf. Ritschl. l. l. p. 85.

tici pertinere, quod frustra in eo locos quaerimus, ubi Veteris Testamenti mentionem magis minusve honorificam injectam ab auctore videmus. Cf. X. 25 sq.; XI. 49—51; XIII. 28; XIX. 29—48; XXIV. 25 etc. Quod si vix absque consilio fieri potuisse videtur, tenendum *praeterea* est, Marcionem subinde contortis explicationibus sibimetipsi et placitis suis prospicere consuevisse, cujus rei exempla nobis sint: Luc. XVIII. 35—43, quo loco, si Marcioni auscultandum censes, *οἱ προάγοντες* caecum, Jesum *Davidis filium* compellantem, hanc ob rem increparunt, quod, hoc cognomine usus, *mentitus esset* (1); Luc. XX. 41—44, quo loco ipse Jesus, secundum Marcionem, errorem impugnavit Pharisaeorum, qui Christum Davidis oportere esse filium autumarent (2); Luc. VI. 23, *cujus loci* vim minuere saltem conatus est Marcion animadvertendo: » Jesum non statim prophetas tueri, si iniquitatem Judaeorum affimatam volebat quod nec cum prophetis suis pie egissent" (3). — *Denique* observamus, ex ipsius Marcionis re fuisse, ut locos a Schweglero laudatos in Evangelio suo servaret. Luc. VI. 1—5 enim Jesus adversarium se legis gessisse, neque tamen laudasse Davidis exemplum, sed ad refutandos tantum Pharisaeos adhibuisse ei videbatur. Quod autem ad VII. 27 sq. attinet, totum huncce locum

(1) Tertull. l. l. IV. 36.
(2) Tertull. l. l. IV. 38.
(3) Sunt verba, quae Tertull. e Marcionis ore refert l. l. IV. 23. Cf. cat. etiam XI. 52. IV. 27 alia.

servare illum opportuit ob ea, quae vs. 28 de Joanne leguntur, quum sic demum appareret, quam abjecte veri Dei Christus cum' de Baptista tum de toto Creatoris foedere judicasset.

Quod Marcion XI. 42 vocem κρίσιν, in κλῆσιν mutavit, XII. 58 autem servavit verba: *μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτήν, καὶ ὁ κριτής σε παραδώσει τῷ πράκτορι* — id nihil plane difficultatis habet. Enimvero disertis verbis testatus est Epiphanius et adstipulatur ei Tertullianus, Marcionem locum XII. 58 de Creatore ejusque Angelis intellexisse; tali autem remedio eum ad sanandum locum XI. 42 uti non potuisse unicuique patet.

Ne ea, quae XII. 22—24 habentur, aeque ac ejusdem cap. vss. 6 et 7 deleret, fortassis cohibuit Marcionem cogitatio, Christum iis, ut ipsi saltem videbatur, ad res terrestres, Creatoris quippe ditioni subditas, vilipendendas hortatum esse. Siquidem hoc effici licet ex hisce verbis Tertulliani (l. l. IV. 29): „Denique si quasi derogator Creatoris (Christus) non vult *de ejusmodi frivolis* cogitari, de quibus nec corvi nec lilia laborent" e. s. p.

Luc. XIII. 1—9 cum XIV. 21; XII. 46 et XIX. 29 a Schweglero componitur. At Luc. XIV. 21 ipse Marcion *τὸν οἰκοδεσπότην ὀργισθέντα* Deum bonum significare oblitus fuisse, seu potius parabolae, ad quam notio ista pertinet, causâ, minus curasse videtur. — Voce *διχοτομήσει*, quae XII. 46 occurrit, non magnopere offendebatur, quandoquidem illa nil aliud indicari

putabat, nisi Deum omnes, quos non paratos inveniret, a fidelibus *segregaturum esse* (1). Tandem quae leguntur XIX. 27 hanc ob causam Marcioni non delenda videbantur, quia intelligi haec voluit de » Creatore austero, tollente, quod non posuerit, et metiente, quod non severit" (2).

Comparat Schweglerus Luc. XIII. 28, quem locum immutasse fertur Marcion, cum XVI. 22 sq. — At comparatio ista non valet. Quod enim, cum Abrahamus, Izaåcus et Jacobus, tum omnes omnino prophetae, *regni divini* participes forent, — sic enim legimus XIII. 28 — cum Pontici placitis in concordiam redigi nullo modo poterat. Parabolam vero de Lazaro paupere, in Abrahami sinum recepto, locum suum servare hoc pacto sivit, ut integra de Creatore ejusque servis intelligeretur; quodque vel maxime hac in re observandum est, etiam τῷ κόλπῳ Ἀβραὰμ *Inferorum* quendam locum significari voluit, quum » Christi contra et Dei sui *coelestem* definiret sinum et portum" (3). — Neque etiam, quia Marcion parabolam de vinitoribus perfidis delendam esse censuit, icciroo eum narrationem de Conservatoris cum Mose et Elia in monte congressu simili

(1) Tertull. l. l. IV. 29: » Temperare enim tentant (Marcionitae) hunc sensum quum Deo ejus vindicatur, quasi *tranquillitatis* sit et *mansuetudinis* segregare solummodo et partem ejus cum infidelibus ponere, ac si non sit vocatus, ut statui suo redditus, quasi non et hoc ipsum judicato fiat. Stultitia!"

(2) Sunt verba Tertull. l. l. IV. 37.

(3) Ut ait Tertull. l. l. IV. 34. — Cf. Hahn, l. l. p. 168 sq. Olshausen, l. l. p. 200 sq. Cet. ipse Ritschelius Schweglerum errasse fatetur l. l. p. 68 ¹).

plane ratione eradere oportuit. Scilicet, quum parabola ista ad aequiparandum Jesum pristinis prophetis spectaret, aliter fieri non potuit, quin Marcioni, ab omni tali comparatione abhorrenti, perquam esset invisa. Facillime contra ei cessit, iis, quae Luc. IX. 28 sqq. leguntur, sensum aliquem substituere, quem si haberent, placitis ejus favere potius quam detrectare viderentur. Dixit enim, Jesum hunc in finem cum Mose et Elia in unum convenisse, ut solenniter ipse Deus declararet, prophetas istos filio suo longe minores esse habendos, iisque nil competere obsequii, sed solius Domini verbis esse obtemperandum (vs. 35). Quod ad Petri verba attinet, vs. 33 servata, Marcion, ut horum vim imminueret, provocare solebat ad ea, quae sub finem ejusdem vs. leguntur: μὴ εἰδὼς ὃ λέγει (1).

Marcionem, si parabolam de filio degenere aegre tulisset propter abundantis vitae descriptionem, quam vs. 22 sq. nobis exhibeat, etiam locos XV. 2 et XII. 36 delere oportuisse, minime concedendum videtur Schwegler o. Etenim quum Jesus συνεσθίειν τοῖς ἁμαρτωλοῖς dicitur, nil nisi mansuetudo ejus erga peccatores his verbis indicatur. Quod porro ad XII. 36 attinet, ubi domino ἐκ τῶν γάμων redeunti Jesus aequiparatur, observandum est, Marcionem h. l., ut saepius, neque

(1) Cf. de hoc toto loco imprimis Olshausen, l. l. p. 198 sqq. Etiam Ritschel. h. l. nobiscum facere videre est ex iis, quae scripsit l. l. p. 102: „Dass Marcion sie (die Parabel von den Weingärtnern) weggeschnitten, weil er die Propheten nicht als Vorläufer Jesu anerkennen könnte, lässt sich allerdings in diesem Falle nicht anfechten durch Aufzeigung von Parallelen, die in diesem Evang. gestanden hätten."

Christum, neque Deum suum » *detestatorem* scilicet *nuptiarum*" sed creatorem cogitasse » *cujus nuptiae sunt*" (1). Quod praeterea rite teneatur, si parabolam de filio degenere repudiasse Marcion jure dicendus est, hujus rei causa non inprimis (2) in lautioris quadam vitae descriptione, sed, ut mox videbimus, in universa ejus indole atque mente quaerenda est.

Etiam in Marcionis Euangelio hic illic ad observanda legis praecepta a Servatore incitari, mihi haud minus ac Schweglero persuasum est. At loci, quibus hoc fieri solet, non ejus generis sunt, ut cum XVI. 17 jure comparari possint. Dementis sane Marcioni videri debuit, fidem habere iis, quae in legis honorem h. l. habebantur: *εὐκοπώτερόν ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν*. Nihil contra molestiae parabatur illi locis, ubi Jesum se vulgari aequalium suorum cogitandi rationi accommodasse, aut ad Creatorem hujusque regnum dicendo respexisse videret; quocirca non miramur, eum dicta aliquot servasse, quae, si proprio sensu acciperentur, offensioni ei esse debuissent, — ut X. 26, 28. XVI. 29, 31. XVII. 14. XVIII. 19 sqq. (3).

---

(1) Tertull. l. l. IV. 29.

(2) Cum Hahnio (l. l. p. 181 sq.) quem jure refutavit Ritschel. l. l. p. 66.

(3) Citat quoque Schwegl. XI. 52. At ibi de τοῖς νομικοῖς non dicitur, eos *possidere τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως*, sed eam *sustulisse* (ἤρατε); quod non ita accipiendum esse, ac si clavem cognitionis reapse in eorum possessionem pervenisse Jesus dixisset, docent quae mox sequuntur Servatoris verba: *αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθατε κ. τ. λ.*

Ut ostenderet Schweglerus, Marcionem a *servi* notione, in Christi discipulum translata, minime abhorruisse, non opus ei fuerat ad Luc. XII. 43 et XIX. 43 provocasse (1); provocare etiam potuerat ad ipsius, quae XVII. 7—9 habetur, parabolae manifestum sensum (cf. vs. 7 et 9), siquidem parabola illa, quod tamen dubitationi obnoxium est, in Euangelio Pontico exstiterit. At hoc contendo Marcionem, si Epiphanio eum, quae XVII. 10 leguntur, erasisse testanti, fides habenda sit, hoc non fecisse, quod Christianorum cum *δούλοις ἀχρείοις* comparatio ipsa per se eum offenderet, sed quod Pauli suaeque ipsius menti adversari illi videretur comparatio, quae h. l. — etsi tectius paullo — inter Jesu Discipulos et *τὸν νόμου δοῦλον, πάντα τὰ διαταχθέντα αὐτῷ ὃ ὤφειλε ποιῆσαι πεποιηκότα* instituitur, quum facile sic videri cuipiam posset, ac si Christianorum esset, non Deo bono, sed justo s. Creatori, legis Mosaicae auctori, officia sua praestare (2).

Inter ea, quae leguntur XIX. 9: *καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν* et XIII. 16: *ταύτην δὲ θυγατέρα Ἀβραὰμ οὖσαν* haec est differentia, quam praetervidisse Schweglerum vix satis mirari possum, cognomen Zacchaeo, — publicano igitur et peccatori — a Conservatore datum dogmaticam quandam

(1) XIX. 43 proprie ne in sensum quidem venire debuerat, quandoquidem, ut supra diximus, totam de minarum servis concreditarum usu parabolam, de Creatore ejusque cultoribus interpretandam esse docuit Marcion.

(2) Cf. Olshausen, l. l. p. 209 sq.

significationem aut habere aut saltem habere Marcioni videri, quum contra mulier, quam Jesus XIII. 10 sqq. sanasse traditur, nullam aliam ob causam *filia Abrahami* ab eo nuncupata sit, nisi ut legis sabbathicae patronos eo magis puderet duritiae suae erga aegrotum, qui non solum ejusdem humanae naturae cum iis particeps, sed ex eadem quoque stirpe oriundus esset.

Si nulla alia causa Marcioni fuisset, cur ea, quae Luc. XXII. 16 occurrunt, de Euangelio suo tolleret, nisi quod Jesus ibi pascha comedisse fertur, jure profecto quaeri possit, quidni igitur etiam vss. 8 et 15 ab illo resecti sint? Attendendum vero potius est ad ea, quae sequuntur verba, quibus testatur Dominus se Pascha non esse comesurum: ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. Hisce sane verbis sententiam contineri, Marcionis placitis haud parum adversantem, quis est, qui non videat? Scio equidem ejusdem fere generis sententiam etiam vs. 18 expressam legi. At quod primum moneo, non satis constat Marcionem hunc vs. retinuisse, quum saltem Tertull. eum aeque ac duos proxime antecedentes silentio praetermiserit. Deinde vero etiam observanda est loquendi formula πληρωθῇ ἐν τῇ βασ. τ. θ. quae solummodo vs. 16 occurrit, quum vs. 18 nil nisi temporis quaedam futuri definitio exhiberi videatur hisce verbis: ἕως ὅτου ἡ βασ' τ. θ. ἔλθῃ. Nemini scil. ignotum est ejusmodi dicendi formulas, quibus s. ad impleta s. ad implenda vaticinia respiceretur, vel solummodo

videretur respici, Marcioni perquam fuisse odiosas.

Marcionem in Euangelium suum locos quosdam recepisse, qui docetismo magis repugnarent, quam faverent, jam Tertullianus probe observavit. At hac de re imprimis valet, quod ipse ille ecclesiae doctor (l. l. IV. 43) de adversario suo testatus est: »Non parcit nisi eis, quae non minus aliter interpretando, quam delendo, subvertit." Etenim quanto ingenii acumine Marcion subinde usus sit in explicandis locis, qui cum ipsius de incorporea Jesu natura doctrina in pacem se redigi non paterentur, videre est ex iis, quae Tertull. v. c. ad verba: *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου* (XXII. 19 (1)) adnotavit; sed nusquam magis apparet, quam in eorum, quae XXIV. 36 sqq. de Jesu redivivi in Apostolorum corona apparitone habentur, interpretatione, s. potius perversione. Quod Tertullianus in citando vs. 39 verba: *ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε* et una cum his sequentia: *σάρκα καὶ* silentio praetermisit (2), fortassis inconsulto factum est, at indicio nobis pariter esse potest, Marcionem haec verba non legisse. Ut hoc vero omittam, audiatis quaeso, quamnam ingressus sit viam, ut commodum, sibi saltem aptum, redderet sensum horum verborum: *ὅτι πνεῦμα ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα.* Nimirum, ut ait Tertullianus (3) »vult

(1) l. l. IV. 40. — Cf. Hahn.

(2) Habet enim: »quia ego ipse sum, quoniam spiritus ossa non habet sicut me videtis habere." l. l. IV. 43.

(3) l. l.

sic dictum, quasi: *spiritus ossa non habet, sicut me videtis habentem*, ad spiritum referatur." Marcion igitur ad verbum ἔχοντα non ὀστέα, sed πνεῦμα, cogitari voluit, adeoque, si Ponticam istam interpretationem vestram feceritis, Jesus discipulis non dixerit, se spiritum non esse, quia ossa haberet, sed hanc ob rem ossibus carere, quandoquidem spiritus, qualis ipse esset, haec non haberet (1). Profecto, ubi unum hocce exemplum contemplati estis, mirari mox desinetis, Marcionem alios quosdam insuper locos in Euangelio suo retinuisse, qui, etsi illos doceticis suis placitis repugnare bene compertum haberet, multo tamen facilius ad ipsius voluntatem torqueri poterant, ut VII. 46, VIII. 46; V. 24 et plures hujus generis (2). Quaerat fortasse aliquis, quidni igitur ubivis interpretando *potius* quam delendo subvenire sibi conatus sit? quidni v. c. etiam ea, quae in prioribus Euangelii Capp., vel quae XXII sqq. leguntur (3) aliquo modo explicare et sibi vindicare studuerit? Huic vero respondendum censeo, quod jam ab aliis responderi audivimus, » subtilissima subinde interpretamenta ei ad sensum

(1) Marcionis mentem perverse reddidit Olshausen. scribendo (l. l. p. 202 sp.): » Er erklärte die Stelle: denn ein Geist hat nicht Fleisch und Bein wie ihr seht, dass ich habe — *so*, dass er die Negation auf den Satz: wie ihr seht, dass ich habe, hinübertrug und ihm die Deutung gab: wie ihr seht, das ich *nicht* habe." Recte Hahn, l. l. p. 221: » Denn ein Geist, wie ich, hat ja nicht Fleisch und Knochen, wie ihr allerdings seht, dass ich sie nicht habe" u. s. w.

(2) Cf. Schwegl. l. l. I. p. 270.

(3) Ad hos nempe locos provocat Schwegl. l. l. I. p. 269.

s. scripturae in suos usus distorquendum haud suffecisse, ita ut hic illic quasi necessitate quadam delere coactus sit, quae contraria sibi et placitis suis invenisset" (1). Apparet saltem, locum XXII. 42 sq., quot verbis constat, tot fere difficultatibus premi, simulac Marcionitica ratione interpretari illum tentamus, ac minus etiam dubitari potest, quin Euangelii exordium ex omni parte ita sit comparatum, ut ab initio usque ad finem Marcionis doctrinae adversetur. *Quocirca*, quicquid dicat Schweglerus, comparationem, quam etiam hic institutam ab eo videmus, non justam esse habendam persuasum mihi est (2).

Exemplis, ad quae Schweglerus provocat, seorsim spectatis, concludimus inde minime sequi, quod se probaturum erat pollicitus. Saepius enim vidimus, eum aut locos inter se comparasse, qui, utpote diversae plane indolis, nullo modo comparandi essent, aut immemorem se praebuisse rationis, qua in S. Scriptura interpretanda Marcion versari esset solitus. At

(1) Cf. supra. — Olshausen, l. l. p. 302 sqq.

(2) Qua de re mihi adeo persuasum est, ut vel duorum horum locorum ope ostendere posse mihi videar, quam longe a vero aberraverit Schweglerus, scribendo (l. l. I. p. 272): » Gerade » die stärksten Stellen des Lukas-Evangeliums sind es, die er bei» behalten, und in dieser Weise (durch eine gewaltsame Exegese) » unschädlich zu machen gesucht hat" u. s. w. At enim et alii gravissimi sunt loci, qui sententiam hanc pro auctoritate latam omnino repellendam doceant. Cogitemus de XI. 29—32; XIII. 1—9, 28, XVIII. 31—34; XIX. 29—46.

supersunt aliquot loci, quos in Euangelio Pontico non exstitisse idem ille V. D. se mirari profitetur, quum hujus Euangelii auctorem, si consilio cuidam dogmatico obtemperasset, eos vel imprimis servaturum fuisse existimet (1). De hisce igitur paucis adhuc dicendum est.

Ut offenderetur Marcion iis, quae Luc. XIII. 31—35 leguntur, plura faciebant. Ne de responso dicam, quod Herodi datum iri jussit Dominus, quodque hujus humanitati atque clementiae parum convenire videbatur, — totus hicce locus ingenium prodit, a Marcionis doctrina quam maxime alienum. Vs. 33. Jesus, plane ac si et ipse propheta esset, a pristinis vatibus non diversus, hanc ob rem Hierosolyma se proficisci ait: *ὅτι οὐκ ἐνδεχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ.* — Vs. 34 deplorat tristem hujus urbis sortem causamque minantis ei interitus haud obscure hanc fuisse significat, quod *τοὺς προφήτας, τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν* tam indigne tractasset. Denique etiam vix aliter fieri potuit, quin misericordiam Conservatoris, templi futuram vastationem vs. 35 annuntiantis, aegre ferret Ponticus. Quonam igitur jure Schweglerus statuit, nullam afferri posse causam, cur in Euangelio Marcionis locus hicce desideraretur?

Quod ad parabolam de filio degenere ad patrem reverso attinet, jam supra dicere me memini, Marcionem,

(1) » Noch mehr" — sic enim ait Schwegl. l. l. I. p. 273 — » es fehlen im marcionitischen Texte mehrere der paulinischen Stücke des Lukas-Evangeliums, solche die dem Ideenkreise des » Häretikers" am meisten zusagen mussten."

non ob vitae lautioris descriptionem, quae XV. vs. 29 sqq. exhibetur, sed totius, quam referre ipsi videbatur, indolis causa eam repudiasse. Quod enim jure ac scite observavit Olshausenius, ficta haec narratio, etsi in genere vix diversa ab iis, quae praecedunt, parabolis, de una ove perdita, aut de drachma amissa ac reperta, partim tamen iis plane apparet dissimilis. Scilicet, illic Deus ipse quaerere peccatores fingitur, hic contra peccatorem sponte sua Deum quaerere, atque ad eum, tamquam ad patrem, reverti videmus. At hanc ipsam ob causam relatio, de qua agitur, Marcionis doctrinae prorsus non congruebat, cui quippe proprium vel maxime erat, Deum praedicare Creatoris cultoribus tum demum cognitum, quum ipse se, humanae naturae specie indutum, mundo revelasset, ut ab imperio Creatoris peccatores liberaret (1). Profecto sic intelligitur, cur haereticus noster parabolam, placitis ipsius ab omni parte repugnantem, eradere quam servare maluerit. Neque etiam contrariis Ritschelii argumentis moveri me patior (2). Non enim de una quadam parabolae linea, sed, ut

(1) Cf. quae scripsit Olshausen. l. l. p. 208 sq.

(2) l. l. p. 67. „Woher weiss man denn aber, dass Marcion so die Worte pressen müsste, und nicht diesen Zug als gleichgültig (?!) bei Seite lassen könnte? Und auch jenes zugegeben: könnte er denn nicht als geschikter Interpret den Gedanken hineinlegen, dass die Umkehr jenes Mannes und sein Suchen des guten Gottes eben durch diese gewirkt sei? Alle jene Gründe, welche angeführt werden, dass Marcion gewisse Stellen streichen müsste, werden problematisch dadurch, dass Marcion sonst seine gewaltsame Exegese anwandte."

diximus, de tota ejus indole atque mente agitur. Marcionem porro eam hoc modo interpretari potuisse, ac si ipse Deus mutatae peccatoris mentis causa atque auctor esset habendus, non omnino quidem nego, at vel sic tamen contendo, talem interpretationem haud facile ab eo admitti potuisse, quum totius narrationis forma ab ea abhorreret. Praeterea non omittendum videtur, duas praecedere parabolas, quae Marcionis doctrinam accurate referunt. Non sane est, quod miremur, eum tertiam potius repudiasse, quam contorta explicatione sibi vindicasse.

Luc. XVII 5 sq. in Euangelio Marcionis defuisse cum Hahnio statuit Schweglerus, at nullo alio argumento nisus praeter silentium, quo totum locum vs. 5—10 praetermissum videmus a Tertulliano. Me autem judice, sic non probatur locum huncce (excepto uno vs. 10, quem se non legisse diserte testatur Epiphanius) a Marcione fuisse omissum; aut si partim eum omiserit, saltem non defuisse contendo, quos Schweglerus laudavit vss.; lubens enim confiteor, nullam afferri posse causam, cur deleverit eos Marcion, ipsumque Tertulliani silentium ex eadem causa satis explicari.

Nil magis mirum, quam quod parabolam de vinitoribus perfidis (Luc. XX. 9—18) a Marcione fuisse rejectam Schweglerus se mirari ait. Quasi non offendi oportuerit haereticum parabola, in qua Jesus se ejusdem Dei legatum profitetur, qui etiam prophetas ad populum Israëlis miserat! At cujusnam igitur Dei

legatum se haberi voluit Dominus? Creatoris s. Demiurgi, cujus regnum destructurus in terram descenderat? Absit! Quodsi igitur cum Marcione Deum bonum cogitemus, quomodo Mosem, Eliam et reliquos Prophetas ab hoc missos fuisse putabimus, quum hic Deus in Christo primum sese revelasse dicatur? Verumenimvero, ut Schwegleri inexplicabilem errorem ulterius exploremus, non opus est, quum ad ea, quae jam Hahnius (1) et Olshausenius (2) hac de re disputaverunt, provocasse sufficiat.

Quae denique causa a Schweglero afferri possit, cur locus XXI. 1—4 Marcioni vel imprimis servandus fuisset, prorsus me latet. Contrarium potius probari posse, supra a me dictum memini. Necdum mutata mea hac de re sententia, uberiori de ea disputationi nunc jam supersedere me posse putavi.

A Schweglero jamjam ad Ritschelium et Baurum nos convertamus. Scilicet, quod ille *negative*, ut ita dicam, demonstrare conatus est, vulgarem esse deserendam sententiam, quoniam discrimen Lucae inter et Marcionis Euangelia ex ea explicari non possit, id ipsum ut concedamus, hi quoque, sed *positivis* usi rationibus, impetrare a nobis studuerunt,

(1) l. l. p. 196.

(2) » Dass nehmlich die Propheten wie der Sohn von einem und demselben Gott ausgesendet werden, *vernichtete* das Marcionitische System u. s. w."

provocando nimirum ad praestantiorem, ut aiunt, orationis nexum, quo Marcionis Euangelium prae Lucae Digestis lectori sese commendet (1). Age, singulos, de quibus controversia est locos, inspiciamus (2).

Orationis nexum iis, quae Luc. IV 24—27 leguntur, turbari Ritschelius probare quidem conatus est, sed frustra, et operam atque oleam perdidisse dicendus est. Nazarethanos primum, etsi invitos fere, sublimi Jesu quasi perculsos doctrina, vel sic tamen non adeo bono erga hunc fuisse animo, ut sine omni causa dictum videatur, quod vs. 24 legimus: *ὅτι οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ* — ex eo ipso patet, quod, ut Tertulliani verbis utar (l. l. IV. 8): *merito unius proverbii* Servator *ejectus* ab iis *refertur* (vs. 28 sq.). Neque etiam ad locum parallelum Matth. XIII. 54 sqq. provocasse juvabit. Etenim locus iste nostro plane est similis, nisi quod disertis illic verbis additum legimus: *καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ*, quae verba Luc. IV. 22 non occurrunt quidem, at summo tamen jure subintelliguntur (3).

---

(1) Cf. supra.

(2) Cf. ad sequentia, quae nuper scripsit Wettius in Isagoges suae Edit. 5. § 72b.

(3) Contextam orationem hoc postulare patet, simulac Matthaei et Lucae Euangg. inter se comparantur,

Matth. XIII. 54.	Luc. IV. 22a.
» » 55 sq.	» » 22b.

Sane me non videre confiteor, quamnam veri speciem habere possint, quae scripsit Ritschl. (l. l. p. 75): » In diesem Zusammenhang kann nicht Verachtung, sondern nur Wohlgefallen und der Wunsch, dass Jesus recht viel unter ihnen, seinen Mitbürgern, wirken möge, die Frage hervorgerufen haben: *οὐχ οὗτος ἐστιν ὁ*

Animadvertendum denique, etiam illa, quae vs. 28 sq. habentur, sine vs. 24, immo quoque sine sequentibus vss. vix explicari posse, quandoquidem, ut Wettius (l. l.), ipseque adeo Baurus scite observavit, Nazarethanorum ira uno illo, quo Jesus vs. 29 usus fuisse perhibetur proverbio, prorsus non explicatur (1).

Ejusdem hujus Cap. vss. 38 et 39 perperam huc e Matth. VIII introductos fuisse, exinde jure efficere sibi visus est Ritschelius (2), quod h. l. Petri socrum ministrasse iis (αὐτοῖς) dicitur, i. e. Conservatori et discipulis eum comitantibus, quum de horum tamen vocatione sequenti demum Cap. sermo sit. Subtilius, quam verius profecto! Summo saltem jure quaeritur, quidni, praeter ipsum Petrum, etiam alios cogitemus, quos Jesus in aedibus Simonis offenderit, hospites, quibus, non minus ac ipsi Conservatori, officia a socru praestanda (3) fuerint.

Porro hac ipsa narratione pariter ac iis, quae mox, imprimis Cap. V. 1 sqq., leguntur, nos impediri prorsus monemus, quominus Ritschelio et Bauro (l. l. p. 398) adsentiamur, statuentibus, in Marcionis Euan-

---

υἱὸς Ἰωσήφ;" quum Nazarethani ap. Matth. non solum θαυμάζειν, sed etiam ἐκπλήσσεσθαι propter Jesu sapientiam (σοφίαν), at vel sic tamen σκανδαλίζεσθαι ἐν αὐτῷ ferantur. Quid igitur diversitatis h. l. cernitur?

(1) » So kann man dagegen sagen, auch die Erbitterung und die Gewaltthat der Nazarethaner sey nicht gehörig motivirt, wenn Jesus nichts weiter sagte, als was wir, vs. 23 lesen" l. l. p. 399.

(2) Nec non, post eum, Baurus l. l. p. 410.

(3) Cf. de Wette l. l.

gelio proprium servatum fuisse ordinem, quo loci IV. 31—37 et IV. 16—30 antiquitus subsecuti sibi sunt (vid. supra). Manifesto enim apparet, IV. 38 sqq. et V. 1 sqq. cum iis, quae IV. 31—37 praecedunt arctius cohaerere, quam ut, interposita rerum Nazarethi gestarum relatione, sine magno contextus damno divelli ab iis queant. Neque etiam iis, quae vs. 23 habentur, perquam moveor. Docet quidem locus iste, auctorem in enarrando temporis ordinem aut non curasse plane, aut non magni saltem fecisse. At hujus loco, *rerum* ordinem servare studuit, exponens *primum* Jesum se in Galilaeam contulisse, ibique in Synagoge docuisse (IV. 14 sq.); hinc *deinde* statim se ad odium convertens, quo Conservatorem ipsius populares obsecuti sunt (16—20); conjunctim porro de iis acturus, quae ad priorem Jesu in urbe Capharnaum commorationem pertinebant (IV. 38 — V. 11); nec non de ceteris variis, quae in oppidis, vicisque Galilaeae aut dixisse aut patrasse ferebatur Dominus (V. 12 ad VI. 49), ut hinc reversus, mentionem *denique* eorum faceret, quae redux in urbem suam Jesus peregit (VII. 1 sqq.) (1).

Luc. IX. 31 in Marcionis Euangelio non exstitisse,

---

(1) Lucam *καθεξῆς* quidem, sed non chronologice scripsisse, ordinem rerum, non vero temporis servandum sibi proposuisse, videre est ex iis, quae hac de re monet Ebrardus in op. laud. Wissensch. Krit. der evang. Gesch. p. 121 sqq. Cf. impr. quae habentur p. 133 sq.: » Lukas hat also eine bis ins feinste ausgeführte *Realeintheilung*" u. s. w. » Sehen wir nun L. näher darauf an, so finden wir, das er wirklich fast nirgends akoluthistisch verbindet" u. s. w.

etsi verosimile sit, tamen non omni dubio majus haberi potest (1). Vs. porro hocce non nisi *mythicum* quoddam τοῦ συλλαλεῖν interpretamentum contineri, Ritschelio non facile concesserim. Aut enim Mosem et Eliam cum Jesu colloquentes tollas, aut ponas, eos de futuro hujus exitu cum Conservatore agere potuisse. Obstare totius narrationis indolem atque finem, equidem sane non video, nisi ipsum, quod h. l. memoratum legimus, colloquium Jesu cum duobus V. T. prophetis huic indoli atque fini parum convenire censeas. Argute denique ita finxit Ritschelius, ac si ea, quae vs. 21 habentur: οἳ ὀφθέντες ἐν δόξῃ, pugnarent cum sequentibus: διαγρηγορήσαντες δὲ εἶδον τὴν δόξαν (vs. 32). At vs. 31 nil nisi universam quandam notitiam continet, qua auctor non *quibusnam* nec *quando* Moses et Elia apparuissent, sed solummodo *eos* ἐν δόξῃ *apparuisse*, indicare voluit.

Sublatis iis, quae Luc. XI. 29—32 de Jona, Salomone, nec non de regina Austri habentur, meliorem exsistere orationis nexum, contendit quidem Ritschelius, sed neutiquam probavit. Finge enim, quod Vir ille D. vult, vocem λύχνον vs. 33 alio quam vs. 34 sensu esse accipiendam, vel sic tamen omnia aptissime inter se cohaerere merito dicuntur. Teneamus modo Jesum, etiamsi nullum aliud signum, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ populari bus suis datum iri dixisset, πλεῖον tamen Σολομῶνος et πλεῖον Ἰωνᾶ ab iis haberi voluisse.

(1) Cf. Baur l. l. p. 410.

Quomodo igitur talis agnosci ab iis poterat, si ipse lumen suum abscondebat, i. e. si quod ab illo petierant signum coeleste, constanter recusabat? Scilicet si lumine, quod in semet ipsis habebant accensum, prudenter utebantur. Hanc ob rem vs. 35 Conservator hoc modo pergit: *σκόπει οὖν, μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν*. Ceterum, Ritschelium in aptiore orationis nexu effingendo nimis argutatum esse, at vel sic tamen loci, de quo agimus, in Euangelio Marcionis defectus satis probabilem causam non indicasse, ipsius Bauri sententia est (1).

Verba, quae XI. 42 occurrunt: *ταῦτα ἔδει ποιῆσαι κἀκεῖνα μὴ παρεῖναι* (2), orationis nexui non convenire, quum h. l. non ut Matth. XXIII. 23, de Pharisaeorum simulatione sermo sit, falso mihi statuisse videtur Ritschelius. Immo optime ea convenire patet nobis reputantibus, Jesum hacce opportunitate non dicere voluisse, externos religionis ritus plane non esse observandos, sed culpandos esse Pharisaeos, quandoquidem, quod minoris aut nullius fere esset pretii, summo haberent honore. Jure igitur Conservator: *ταῦτα* (scil. *τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ*) *ἔδει ποιῆσαι* (oportebat *vel imprimis* facere), *κἀκεῖνα* (externos illos ritus) *μὴ παρεῖναι* (non *negligere* quidem, at minus etiam tali observantia digna illa judicare,

---

(1) l. l. p. 399 sq. »Muss man den Zusammenhang erst so künstlich suchen, so macht es keinen so grossen Unterschied, ob auch noch eine Stelle, wie die vs. 30–32 folgende dazwischen steht" u. s. w.

(2) S. *ἀφίεναι* quod Rec. habet.

ac si ad veram nanciscendam puritatem eorum peractio sufficeret).

Luc. XI. 49—51 satis bene cum ceteris cohaerere contra Ritschelium copiose ipse Baurus demonstravit, etsi ceteroquin etiam ab hoc statuatur, plura huic loco inesse, quae manum interpolantem testari videantur (1).

XII. 4—9. Orationis nexum h. l. iis, quae vs. 6 sq. habentur, turbari perperam statuit Ritschelius. Nimirum non animadvertisse videtur membrorum parallelismum, quo vs. 4 cum vss. 6 sq. pariter ac vs. 5 cum vss. 8 sq. arcte conjuncti sunt, atque sibimet invicem quasi mutuo respondent. Ceteroquin sententiam vs. 6 sq. expressam oppositam esse illi, quae vs. 5 continetur, non dixisset, quum vss. istis solummodo causa explicetur, cur Christi sectatoribus *homines* non timendi essent.

XII. Marcionis Euangelium loco XII. 33 sq. probabiliter non caruisse, supra diximus. Neque etiam video, cur cum Ritschelio statuamus, vss. hosce non satis apte cohaerere cum iis, quae praecedunt aut mox sequuntur. Immo egregie potius cum hisce cohaerent. Inde nempe oritur figura, quae climax rethorice vocatur. Res terrenas tam parvi esse habendas Jesus affirmat, ut non solum non anxie curandae, nec studiose appetendae, sed thesauri coelestis acquirendi gratia prorsus etiam spernendae et abjiciendae sint. Quod porro ad

(1) l. l. p. 400 sq. — Cf. ad h. l. etiam quae scripsit Neander in op. suo: das Leben Jesu. Edit. 3: p. 467 ²).

nexum inter vss. 34 et 35 attinet, melior certe hicce exsistere omnino nequit, etiamsi auferas ea, quae Marcionem h. l. non legisse Ritschl absque causa judicavit (1).

XIII. Orationis seriem postulare, ea, quae XIII. 29—35 occurrunt, seriori manui tribui, nullo argumento probavit Ritschelius. Solummodo ostendit, apostrophen ad Hierosolyma (vs. 34 sq.), ut e coll. Matth. XXIII apparet, perverse huc fuisse translatam. Vss. autem 29 sq. nihil continere, quod non hujus loci sit, jam Wettius extra omne dubium posuit provocando ad ea, quae vs. 26 leguntur (2).

XVI. De hujus Cap. vs. 17 cf. Wettius, l. l. p. 121 et quae infra scripsi.

XIX. Loquendi formulam vs. 9 obviam: καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστι, neque ex ore Jesu proficisci potuisse neque etiam in concordiam posse redigi cum iis, quae sequuntur: ἦλθεν γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός sententia est, quam ipse Baurius suam facere non ausus est (3).

Narrationem, quae hocce Cap. vs. 29—44 continetur, cum iis, quae parabolâ de minarum servis concreditarum vario usu ipse Jesus paulo ante (vs. 12—27 cf. vs. 11) docuerat, pugnare, quicquid acuminis tum Ritschelius, tum Baurius (4) in fictae hujus pugnae

(1) Jure Wettius: » Die Schicklichkeit des Zusammenhanges zwischen vs. 34 u. 35 wird mit Unrecht geleugnet." l. l.

(2) » Der Gegensatz der Heiden ist nach vs. 26 *sehr passend.*" l. l.

(3) l. ll. p. 403 sq.

(4) l. l. p. 407—410.

vestigiis adornandis posuerint, ridicula fere sententia est. *Primum* enim verum quidem est, Jesum parabola ista indicare voluisse, itineris sui non hoc esse propositum, ut Hierosolymis regnum quoddam capesseret terrestre s. hujus aevi, quale a discipulis suis exspectabatur (vs. 11); at minime verum est, eum tali consilio triumphantis instar urbem intrasse, quum multo potius ex omnibus eluceat, Conservatorem ne tunc quidem ejusmodi quid cogitasse. Quantum *porro* absit, ut, sublato hocce loco, melior exsistat orationis nexus, jam recte observatum fuit ab Epiphanio. Scripsit enim (1): *εὐθὺς γὰρ ἀνεπήδησε* (abrupte enim transsiluit), *παραλιπὼν ὅλα τὰ κεφάλαια τὰ προειρημένα — καὶ ἀπὸ τῆς Ἰεριχὼ καταλιπὼν πᾶσαν τὴν ἀκολουθίαν τῆς ὁδοιπορίας, πῶς τε ἦλθον εἰς Βηθάνιαν, καὶ εἰς Βηθφαγή* (2). *Denique*, quod summum est, etiam ad Matthaei locum parallelum provocari posse mihi videtur. Quodsi enim parabola supr. laud. obstet, quominus narrationi de Jesu Hierosolyma intrante fidem habeamus, quid judicandum de iis, quae Matth. XX. 17—19 et 20—28 (cf. impr. vs. 22) leguntur? Nonne eodem jure dicendum est, ea, quae XXI. 1—11 sequuntur, in concordiam cum iis non posse redigi?

XX. Parabolam de vinitoribus perfidis (XX. 9—18) Euangelio, quo usus est Marcion, seriori demum manu fuisse additam, inde efficere sibi visus est Ritschl

(1) In Refut. ad Schol. 53. p. 340.
(2) Cf. Wettius, l. l.

schelius, quod verba, quae sub finem vs. 19 leguntur: ἔγνωσαν γὰρ, ὅτι πρὸς αὐτοὺς εἶπεν τὴν παραβολὴν ταύτην, nullo modo conveniant cum iis, quae proxime antecedunt: ἐφοβήθησαν τὸν λαόν (1). Respondemus 1° incuriae, cujus h. l. specimen exhiberi videtur, sat multa exempla etiam alibi occurrere (2); 2° Marcum eandem plane commisisse loco parall. XII. 12 (3); 3° proprie ne causam quidem reddi posse, cur scriptor h. l. ejusmodi incuriae reus habendus sit. Quid enim? Narrat pontifices legisque peritos manus Jesu illaturos fuisse, nisi timuissent populi iram. Cur autem timebant? Quia bene compertum haberent, ὅτι πρὸς αὐτοὺς, non vero πρὸς τὸν λαὸν εἶπεν τὴν παραβολὴν ταύτην, neque igitur facile exspectari posset, populum (4) bono animo esse laturum, si ulciscendi sui causa hostili modo eum aggrederentur; 4° prorsus non intelligi, cur pontifices legisque periti Jesum capiendi immo interficiendi consilium cepisse hac opportunitate dicantur, nisi eum acerbioribus, quam quae vs. 1—8 occurrunt, verbis contra illos usum fuisse statuamus (5);

---

(1) Cf. supra.

(2) Cf. de Wette l. l.

(3) Quocunque enim modo haec mutua convenientia explicanda sit, probatur saltem inde, negligentiam, de qua agimus, Euangelii Marci auctori offensioni non fuisse, quod observatu eo dignius est, quum loci parall. in ceteris non ad literam conveniant. Cf. de Wette l. l.

(4) De quo paulo ante XIX. 48 legimus: ὁ λαὸς ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων.

(5) Egregie nempe aut ipse fallitur aut lectores suos fallere studet Ritschl. scribendo (l. ll p. 103): » in Marcions Evangelium war der Satz ἐζήτησαν in seinem Anschluss an vs. 8 vollständig me-

3° observetur, etiam secundum Matthaeum (XXI. 45 sq.) pontificum et Pharisaeorum iram exarsam fuisse, auditis parabolis, quibus Jesus eorum contumaciam perstringere ausus erat. *Denique* memoratu haud prorsus indignum est, quod animadvertit Wettius (1), vocem προςέθετο, quae in parabola nostra bis occurrit (vs. 11 et 12), loco vero parallelo ap. Matth. non itidem invenitur, Lucae fuisse propriam; cf. XIX. 11. Act. XII. 3.

Ejusdem hujus Cap. vs. 37 sq. cum contexta oratione non pugnare quidem, at non necessario eos requiri, immo prorsus supervacaneos esse habendos, quum Jesus non h. l. ut Matth. XXII. (cf. vs. 29) ipsius resurrectionis veritatem vindicare, sed solummodo Sadducaeorum objectionem quandam repellere sibi proposuisset, merum est Ritschelii commentum. Verum profecto est, Jesum h. l. non, ut ap. Matth. (XXII. 29) ab ipso inde disputationis limine iis sese opposuisse, qui, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, futuram quoque negabant mortuorum resurrectionem. Simulac vero propositum spectamus, quo Sadducaei quaestionem suam solvendam Conservatori obtulerunt, invenimus, hoc nullo alio consilio ab iis factum esse, neque etiam fieri potuisse, nisi ut dubium quoddam contra ipsius resurrectionis veritatem moverent, Domino, ut putabant, vix tollendum (2). Verumenimvero ab ipso

---

tivirt durch die abweisende Antwort Jesu: οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ τοῦτο ποιῶ.

(1) l. l.

(2) Parum sane aequum interpretem se praestitit Ritschl. scribendo l. l. p. 103: » Denn da die Sadducäer, wenn sie sonst auch

Euangelii scriptore hoc non obscure significatum fuit. Quemnam saltem in finem vs. 27 de Sadducaeis agens, tot verbis adjecerit: οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, explanatum velim, nisi hoc factum sit, ut cuique legenti pateret, ipsorum *incredulitatem* ad Jesum tam captiose de vita futura interrogandum Sadducaeos incitasse. Me igitur judice optima cum praecedentibus cohaeret ratione, ipsam illam Sadducaeorum incredulitatem vss. 37 sq. a Conservatore respici, quum alioquin facile cui videri possit, ac si inimicorum suorum fraudes aut non satis perspectas habuisset, aut ab omni parte redarguere eas non esset ausus. Ceterum quod ad ea attinet, quae de verbis: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι (vs. 38), turbati ordinis, ut ait, indicibus, nugatus est Ritschelius, ipsum Baurium judicem advocasse sufficiat (1).

XX. Quae vs. 18 dicta sunt: καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται, adagium quoddam continere jure observavit Ritschelius. Hanc ipsam vero ob causam ea nec cum praecedentibus, nec cum mox sequentibus verbis pugnare persuasum mihi est. Vide-

die Auferstehung leugneten, Jesu gegenüber keinen Zweifel dagegen laut werden liessen, vielmehr dieselbe vorläufig zugaben, (?!), und dem Herrn nur eine besondere auf die Auferstehung bezügliche Frage vorlegten (at hoc ipsum quoque de Matth. XXII. 23—28 valet; quidni illic igitur Jesus supervacaneum duxit, resurrectionis *veritatem* probare?), so erfordert die Anlage der Erzählung bei Lucas keines weges, dass Jesus zugleich die verschwiegene Ueberzeugung jener Männer angriff und widerlegte."

(1) V. quae scripsit l. l. p. 404: » dessen (des Satzes πάντες γ. α. ζ.) logische Stellung Ritschl. mit nicht sehr stichhaltigen Subtilitäten bestreidet."

licet nón hoc significare iis voluit Conservator, nullum corporis s. vitae periculum discipulis imminere, sed eorum, quae summo sint pretio habenda, nihil omnino iis ademtum iri, quum in fide firmiter perseverantes de animae saltem salute securi esse possent.

De ejusdem hujus Cap. vss. 21 sq., nil opus est ut dicam, quum ipse Ritschl concedat, eos, etsi quodammodo supervacaneos, contexta tamen oratione non damnari. Hoc unum observatum velim, ipsa *illa* contexta oratione postulari, inter vs. 20 et 23 aliquid interfuisset, siquidem parum probabile est, Jesum *τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως* descripturum, primo omnium loco *τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας καὶ τὰς θηλαζούσας* cogitasse. Digni quoque sunt, qui conferantur, loci paralleli apud Matth. (XXIV. 15 sqq.) et Marc. (XIII. 14 sqq.), quippe qui, etsi verbis paullulum *dissonent*, sententiarum tamen nexu prorsus cum nostra conveniant.

Porro etiam vs. 16—18, idem quippe ac vss. 19 sq. continentes, merito in Marcionis Euangelio defuisse statuit Ritschelius. At hoc duntaxat probasse dicendus erit, vss. 17 sq. cum ceteris in concordiam non posse redigi. Verumenimvero, ut supra vidimus, de horum ipsorum vss. absentia minus constat (1), quum e contrario vs. 16 defuisse Epiphanius tot verbis testatus sit. Accedit, incertum esse, num versibus 19 sq. de eodem facto agatur, de quo

(1) Cf. Baurus, l. l. p. 411.

versu 16 sermo fuit. Mihi saltem haud exigui hac in re momenti videtur, sublatis vss. 17 sq., sacrae coenae institutionem in duas dividi partes, temporis intervallo a semetinvicem distinctas, quum *inter edendum* panem fregisse (vs. 19), *μετὰ τὸ δειπνῆσαι* vero poculum distribuisse Jesus dicatur (vs. 20). Utrumque autem actum, nullo temporis spatio intermisso, sibimet invicem successisse, a Matth. et Marc. diserte traditur. Ea quae hujus Cap. vss. 24—30 leguntur, seriori demum manu interpolata fuisse, si Ritschelium audias, omni dubio vacat. Vix enim credibile censet, discipulos mox post institutam S. Coenam, tam ambitiose inter se fuisse altercatos. Tum etiam offenditur iis, quae vs. 28 leguntur: *ὑμεῖς ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου*, quum tempus, quo *πειρασμοὶ* illi inciperent, nunc demum instaret Conservatori. Quodsi autem meam sententiam quaeras, loci hujus interpretationem difficultatibus quibusdam premi haud quidem infitior. Ipsam vero discipulorum *φιλονεικίαν* huc referri nolim, quandoquidem haec *συζητήσει* vs. 23 memorata satis superque explicetur. Etiamsi igitur fortasse concedendum sit, *φιλονεικίας* istius mentionem perperam huc ab Euang. hujus scripttore esse translatam, (cf. Matth. XX. 20—28), orationis tamen series ea non turbatur. Quid? quod, hac sublata, contextus exsistat, qui multo majoribus etiam prematur difficultatibus. Finge modo vss. 24—30, aut potius 25—30 (neque vss. 24—30, neque vs. 23 a Tertulliano memoratos le-

gimus) antiquitus defuisse. Num verosimile igitur est, Jesum, statim post detectum proditorem, nulla alia ansa data, ad Simonem sese convertisse, eique lapsum ipsius futurum praenuntiasse? Quisquis Euangelii scriptor habeatur, si tali modo aliena miscuit, rerum ordinem turbasse potius quam servasse dicendus est. At ne constat quidem vs. 24—29 in Marcionis codice non exstitisse (1). Quod autem denique de *πειρασμοῖς* Jesu dicentem audivimus Ritschelium, id negatum eum esse patet nobis, reputantibus totam Conservatoris vitam unum quasi *πειρασμὸν* merito vocari (2).

Ad vss. 43 sq., cf. Baurius (3).

XXIII. Locum de latrone poenitente (39—43), excepto uno vs. 43, in Euangelio Marcionis non defuisse supra diximus. Eum interpolatum fuisse probaturus, non ad orationis contextum Ritschelius provocat, sed ad doctrinam, quae vs. 43 continetur, eschatologicam, quaeque parum cum ceteris N. Foederis hac de re effatis convenire ei videtur. At sic profecto dogmaticum potius quam criticum agit (4), ne dicam ex ejus verbis plane non intelligi, cur, spreto uno vs. 43, etiam ceteri cuncti spurii habendi sint.

---

(1) Cf. supra.

(2) Cet. animadvertatur, ipsum quoque Baurium dubitare, num Ritschelii argumentis fides habenda sit nec ne. l. l. p. 411.

(3) l. l. » Die Auslassung der Verse 43. 44, welche Ritschl blos wegen ihres mythischen Character für nicht ursprünglich halt, anzunemen, hat man keinen besonderen Grund.

(4) Jure igitur hocce argumentum a Wettio vocatur: » ein schwankender Grund.” l. l.

Supersunt aliquot loci, qui in Marcionis Euangelio haud quidem exstitisse ab antiquis traduntur, quibus tamen, ipso Ritschelio judice, orationis series non turbatur. Sunt autem hi quinque: XIII. 1—9; XV. 11—32; XVII. 7—10; XVIII. 31—34; XXII. 49—51. Absque quidem contextus damno illos expungi posse probandum sibi sumsit Ritschelius, simulque, Schwegleri vestigiis ingressus, ostendere conatus est, nullam reddi posse causam, cur cum Hahnio existimemus, Marcionem data opera illos sustulisse. Nostrum non est, haec fusius persequi. At quaerimus, quid de conjectura Ritscheliana universe judicandum sit? Num, quod *primum* est, principio, quo quasi fundamento superstracta est, fidem habebimus? Non videtur. Etiamsi enim orationem hic illic minus *recte* procedere concedendum sit, non sequitur, alium, quam ipsum Lucam, ipsiusmet ut ita dicam operis sui interpolatorem esse censendum. Provocamus scilicet ad Euangelii Proöemium, unde docemur, scriptorem plurium antecessorum operam in unum librum congessisse. Nonne ita fieri potuit, immo debuit, ut, proprio ordine relicto, res subinde magis minusve confunderentur, imprimis quum a viro enarrarentur, qui, licet τῶν ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπτων numero non accensendus, tamen καθεξῆς scribere decrevisset, quique, ut hunc attingeret scopum, suum ipsius saepius in rerum successione enucleanda judicium sequi esset coactus? Quod *porro* observatum volo, Ritschelius hanc ob causam ab Hahnii veterumque sententia recedendum

esse contendit, quia haec lacunarum in Marcionis Euangelio conspicuarum originem explicare non valeat, ipse vero conjecturam commendavit, quae aeque minus tali respondet proposito. Eam ad plurium locorum absentiam explicandam plane non sufficere, ex ipsius ore audivimus. Neque etiam omittendum est, contextus sane ratione prorsus non intelligi, cur Euangelii tum exordium (Cap. I—IV. 16), cum finis a Marcione non lecta sint (1). Quid, quod ipse Baurius infitias ire nequit, primo saltem obtuitu enarrationem ab iis, quae IV. 30 habentur, exordiri nullo modo posse videri, adeoque speciem istam odiosam speciosis argumentis profligare, veritatemque Ritschelianae conjecturae qualicunque tandem modo vindicare, vel imprimis necesse habuit (2)? Accedit *tertio loco*, quod in praecedentibus vidimus, plura obstare, quin Ritschelii de rerum ordine turbato sententiam nostram faciamus. Tres tantum sunt loci, quos silentio praetermittere maluimus, quam difficultatibus, quibus premantur, removendis operam atque oleam impendere: VII. 29—35; X. 12—15 et XXII. 35—38. Etsi fortasse negari non possit, orationis seriem his locis minus recte procedere, pauciores tamen sunt numero, quam ut iis — non dico offendamur — sed ad conjecturam, quae totum Euangelium ab exordio inde ad exitum spectat, amplectandam nos moveri patiamur.

---

(1) Ne de aliis locis nunc dicamus, quos, invito Ritschelio, probabiliter in Codice Marcionis non exstitisse, supra contendimus.

(2) l. l. p. 405 sqq.

Denique etiam rogatum velim, quonam tandem consilio interpolator plura addidisse censendus sit, quum multi profecto occurrant loci, qui, etsi Marcioni minus grati esse debuerint, ex interpolandi tamen studio vix aut ne vix quidem explicari posse videantur? Sed hujus rei disquisitio ad ultimam disputationis nostrae partem pertinet. Antequam vero hanc tractandam aggrediamur, paucis etiamnunc monendum superest de variis aliquot lectionibus, quibus usus est Marcion, quasque suo modo explicare conatus est Ritschelius.

Sunt nempe nonnulli quidam loci, quorum discrepantiam neque calami vitio, neque simili cuidam causae tribuendam esse, ipse ille V. D. probe sensit, at qui vel sic tamen Hahnianae conjecturae favere ei non videntur.

Marcionem primo ea, quae Luc. IV. 27 de Elisaeo Propheta leguntur, non, ut ab Hahnio aliisque contenditur, in Cap. XVII, post memoratam decem leprosorum sanationem transtulisse, hoc modo probare studet Ritschelius, ut, spreta Epiphanii auctoritate, e Tertulliani verbis sequi ostendat, Marcionem quidem in una Antithesium, textui adscripta, non vero in ipso textu Elisaei mentionem injecisse. At finge, nos pedibus in ejus sententiam ire, quid tum? Remanet sane difficultas, non satis apparere, quomodo talem mentionem Antithesibus suis intexere potuerit Marcion, nisi ad comparationem, h. l. Jesum inter et Elisaeum factam, ex ipsius suae narrationis indole ansam primum ceperit. Minus vero etiam in-

telligitur, Epiphanium sic non legisse dicendum esse, quod ipse tamen non semel, sed saepius, in Marcionis Euangelio; et hoc ipso quidem loco se invenisse diserte affirmavit; aut statuendum, animadversionem quandam Antitheticam librariorum errore in textum irrepsisse. Hujusmodi tamen erroris non solum vix ullum aliud exemplum repereris, verum ad hanc minori etiam jure provocari posse videtur, quum verba, quae Epiphanius Marcionem addidisse accusat, non animadversionis cujusdam speciem referant, sed eadem plane sint, quae Luc. IV. 27 leguntur.

Locum VIII. 19—21 etiam absque vs. 19, quem a Marcione omissum videmus, bene se habere, Ritschelio facile largimur. Idem vero de sequentibus quoque valet verbis, quae apud Lucam haud exstant, Marcion autem de suo addidisse fertur: *τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου καὶ τίνες εἰσιν οἱ ἀδελφοί μου*; Porro, etiamsi ad narrationis formam parum referat, utrum vs. 19 genuinus an spurius a nobis habeantur, ejus tamen omissio mihi, apertum verborum sensum reputanti, non flocci facienda videtur (1). Ea denique, quae a Marcione addita traduntur, Docetismi odio ab interpolatore fuisse deleta, vel hanc ob causam Ritschelio (2) non concesserim, quod nihil aliud iis contineatur, nisi

---

(1) Ut res proponitur a Ritschelio, apud quem (l. l. p. 123) legimus: » Dass jedoch vs. 19 gefehlt hat, ist eine *ziemlich gleichgültige Sache*, da auch ohne ihn die Geschichte die nöthige Form hat."

(2) l. l. p. 124. — Cf. Baur l. l. p. 507.

quod etiam vs. 21 ab ipso Jesu expressum legimus (1).

Ad Luc. X. 22. cf. Wettius l. l.

Luc. XVI. 17 lectionem τοῦ νόμου, non vero, quam Marcionis Euangelium exhibet, τῶν λόγων μου, authenticam esse, ipsa contexta oratio docet. Dicit enim Jesus, legis quidem imperium esse abolitum, praeceptis vero ejus nihil in aeternum posse detrahi, quod quam perverse multi putarent, qui vi quasi in regnum coeleste intrare tentarent, mox exemplo demonstrat. Scite insuper observavit Wettius, vocem κεραίαν de lege quidem, non vero de λόγοις Domini adhiberi potuisse.

Ad X. 21. cf. Wettius l. l. et Baurus l. l. p. 508.

Utrum Marcion Luc. XX. 35 verba: ὑπὸ τοῦ θεοῦ addiderit, an vero lectionem variam secutus sit, difficile est dictu. Nulla sane est causa, cur data opera addidisse illa censendus sit; neque etiam hoc in crimen ei a Tertulliano vertitur. At nulla etiam causa est, cur Lucae scriptorem sustulisse illa putemus, quum, qualis esset versus hujus totius sensus, vel una vocula καὶ satis superque indicaretur. Luculentus enim index haec nobis particula est, genitivum: τοῦ αἰῶνος ἐκείνου, non ad praecedens: ὑπὸ τοῦ θεοῦ, esse referendum, sed, una cum sequenti: τῆς ἀναστάσεως, a verbo τυχεῖν pendere. Celt. verbum καταξιοῦν non necessario requirere ut ὑπὸ τοῦ θεοῦ, vel simile quid, s. addamus, s. subintelligamus, scite observavit

(1) Cf. Wettius l. l. p. 121.

Wettius, provocando simul ad Luc. XXI. 36 et Act. V. 41, ubi verbum istud eodem plane modo absolute usurpatum est.

Satanae, Judam occupantis, mentionem, quae legitur XXII. 3, non genuinam esse habendam, sed a Lucae scriptore hunc in finem additam, ne mortis Jesu culpa creatori tribui posse videretur, Ritschelii est sententia. Mirum profecto expedimentum! quo, quantopere semet ipse impediat, Virum D. non vidisse, magis etiam mirum est. Paulo scilicet ante dixerat, Satanae istam mentionem non fuisse prohibituram, quominus mortis Jesu culpam in Creatorem verteret Marcion, quum systemati ejus consentaneum esset statuere, Creatorem istum Satana tamquam instrumento ad necandum Conservatorem fuisse usum.

XXIV. 25 cum Marcione legendum esse: *οἷς ἐλάλησεν ὑμῖν*, non vero, quod Lucae textus exhibet: *οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται*, Ritschelius ne verbo quidem probavit. Cett. cf. Wettius l. l.

Eodem prorsus jure, quo hujus Cap. vss. 44—46 interpolatos fuisse contendit Ritschelius, alii eos a Marcione sublatos esse statuunt.

De vss. 48—53 cf. Wettius l. l.

---

§. V.

De Euangelii Lucani compositione, origine, authentia quaestiones aliquot moventur. Conclusio.

Jam singulis, de quibus agitur, perlustratis, quid de Marcionis Euangelio me judice sentiendum sit, facile intelligitur. Argumenta nempe, quibus tum Ritschelius, cum Baurius ac Schweglerus demonstrare conati sunt, antiquiorem quandam rerum Euangelicarum enarrationem Pontico fuisse in manubus, quae dein, variis interpolationibus aucta, in canonicum Lucae increvit Euangelium, non satis firma esse, neque igitur rationem reddi posse sufficientem, cur a veterum de Marcione, S. Scripturae corruptore, sententia recedamus, etiamnunc statuendum esse censeo. Hanc ipsam vero ob causam Ritschelii aliorumque de Lucae compositione atque origine conjecturae latius investigandae supersederi a nobis posse videtur, siquidem conjectura ista nullam aliam prae se fert commendationem, nisi hanc, quae ex ipsis illis argumentis petitur, de quorum debilitate satis jam, ut videtur, compertum nobis est. At vel sic tamen, ne quid omissum existimetur, age, paucissimis verbis ea, quae hac in re prae ceteris observatu digna sunt, respiciamus finemque sic simul disputationi nostrae imponamus.

Quibusnam quantisque difficultatibus prematur universa, quae vulgo Tubingensis audit, de librorum N. F.

origine sententia, monere non hujus est loci. Dixisse sufficiat, etiam tertii Euangelii originem implicari ea potius, quam explicari. Simulac enim ad illam confugimus, incerti quoque fiamus necesse est cum de hujus libri scriptore, tum de aetate, qua fuit conscriptum. Quonam porro consilio scriptorem in conscribendo usum esse dicemus? Partium studio illum ductum Paulinam doctrinam Judaistis quoque commendare voluisse, Schweglerus Bauriusque conjecerunt. At jure opposuit Ritschelius, eum, tali consilio verborum sensum, ipsa immo verba convertentem, non piam, sed admodum impiam fraudem commissurum fuisse, qualis nobis non licet reum hunc habere (1). Praestaret igitur cum ipso Ritschelio existimare, Lucae scriptori non hoc fuisse propositum, ut euangelio, quod conscribendum sibi sumserat, Judaistis aeque ac ceteris satisfieret, sed librum ipsius hanc ob rem hic illic parum Paulinum referre colorem, quandoquidem temporis progressu plurimi Pauli sectatores et inter hos ipse quoque Lucae scriptor a Paulina mente magis minusve recedere coepissent (2). Hoc autem modo vel

(1) Ritschl, » *ueber die Entstehungszeit der Schriften des Lukas.*" Theol. Jahrb. VI. 2. p. 296 sq.

(2) l. l. p. 298 et 303, ubi Lucae scriptor a Ritschelio proponitur tamquam: » angehörig einem solchen Kreise paulinischer Christen, welche in ihrem friedlichen Zusammenwonen mit Judenchristen, ausser der Unabhängigkeit vom mosaischen Gesetz alles specifisch Paulinische in Anschauung und Ueberzeugung verloren hatten, die aber trotz dem in Paulus den Gründner ihrer Parthei verehrten." Cf. v. Vloten, de Tubingsche school en hare Hollandsche tegenstanders, p. 65 sqq. & 74 sq.

minus etiam intelligitur, quid eum ad plures mutationes in textum introducendas moverit, vel quam ob causam plura addiderit, quae solis Judaistis favere viderentur, quum hoc profecto absque omni consilio et partium studio factum esse nequeat (1). Itaque, quum neutri, neque Baurio, neque Ritschelio probatio ex scriptoris proposito satis bene cesserit, quaeritur, quid de ipsius Euangelii compositione ac forma judicandum sit. Respondetur, illud diversissimis quasi elementis constare, quae etiamnunc a se invicem primo obtuitu discerni possunt, etsi variarum additionum et commutationum ope in unum coaluerint. At sane non difficile foret in ipsius Pauli epistolis ejusmodi diversa quasi elementa commonstrare! Tam longe abest, ut nihil eorum, quae Judaistis praecipue grata et accepta esse deberent, a Pauli discipulo proficisci po-

(1) Summo jure Doct. v. Oosterzee in Diario: Jaarb. v. wetensch. Theol. VI. 3. p. 564: » Wij moeten opregtelijk verklaren, dat met deze modificatie het ontstaan der Christelijke kerk ons nog onbegrijpelijker wordt, dan zij het ons volgens de zuivere Tubingsche theorie ooit is geweest." — » Het is een verschil van *woorden* slechts, niet van wezenlijke historische *beginselen* en *résultaten*, of men in het derde Evangelie niet meer den invloed erkent eener » opzettelijke strekking," maar toch altijd van » een stelselmatigen arbeid in den geest van latere dagen, waardoor de teboekstelling der Christelijke overleveringen beduidend gewijzigd werd." En blijft men niet in dezelfde vijandige houding tegen de geloofwaardigheid der Handelingen staan, hetzij men ze met v. Vloten geschreven laat worden *onder den invloed* der verbroedering van twee vroeger strijdende partijen, hetzij men ze, gelijk Baur wil, laat opstellen met het bepaalde *doel* om die verbroedering te doen ontstaan? In het een zoowel als het ander geval blijft aprioristische constructie der geschiedenis van Paulus en Petrus, mythenvorming, *opzet* zelfs het heerschend karakter van dit geschrift."

tuisse statuamus. Totius immo Euangelii haec est natura, haec indoles atque ratio, ut diversis quasi elementis constet, quorum partem Pauli imprimis sectatores, partem Judaistae arripuerunt atque coluerunt, quaeque, dissoluto demum, quo primum inter se conjungebantur, vinculo, discrepare inceperunt. Diversorum igitur horum elementorum vestigia in iisdem N. T. libris occurrere, quid mirum? Quid adulteratam clamitemus scripturam, simulac Paulinam doctrinam cum legis *religiosa* quadam observatione scriptores sacros tradidisse apparet? Adstipulandum sane quodammodo foret Ritschelio, si probari posset, Lucae Euangelium *antimarcioniticum* quoque referre colorem, quo illud Marcionis demum aetate, aut serius etiam, haeretici hujus errorum repellendorum gratia conscriptum argueretur. At hoc ne ipse Baurius concedendum ei esse putavit (1). *Nec* profecto hoc illis probatur locis, quos a Lucae scriptore aut additos, aut immutatos esse Ritschelius statuit, quum iisdem plane argumentis demonstrari queat, Marcionem eos in sui systematis gratiam aut sustulisse, aut convertisse.

Quod alios porro attinet locos, quos Lucae auctorem ex Euangelio secundum Matthaeum hausisse ait Ritschelius, his tunc demum persuaderi nobis aliquo modo patiemur, si primum extra omnem dubitationem fuerit positum, Euangelium istud revera plures, ut ita dicam, recensiones subiisse, atque sic post varios ca-

(2) Theol. Jahrb. V. p. 595. — Cf. v. Vloten l. l. p. 72 sq.

suas formam accepisse, qua ad nos perlatum est. At vel sic tamen probare eum quoque oportuerit, Lucae scriptori aditum non ad eosdem patuisse fontes, quibus illi usi sunt, quorum opera primum Euangelium, s. Euangelium καθ' Ἑβραίους in recentissimam suam formam redactum dicitur (1).

Luc. XI. 49 locum ex Euangelio Matthaei citari absque jure Schweglerus statuit (2), quandoquidem etiam Matth. XXIII. 34 non ipsius Jesu verba memorantur, sed pristinum quoddam laudatur vaticinium, quod impletum iri Jesus praenuntiavit.

Dein quoque ad Lucae proöemium provocatum est. At non video equidem, quid miremur, cito jam plures historiae Jesu enarrandae operam navasse. Nulla certe est causa, cur medio aut exeunte demum saeculo secundo de πολλοῖς Euangelicarum rerum scriptoribus sermo esse potuerit. Neque etiam consentaneum hoc videtur vocis ἐπεχείρησαν sensui, quippe qua prima potius conamina s. lineamenta, quam consummatas rerum enarrationes designari probabile est.

Atque sic ad aliam simul quaestionem facilis nobis paratur transitus, utrum nempe statuendum sit, librum, quo utebatur Marcion, unum ex eorum fuisse numero, ex quibus ipse Lucae scriptor in Euangelii proöemio se hausisse haud obscure significavit? Respondemus *primum*, hoc conjici quidem posse, at nullo his-

---

(1) Schwegler, Nachap. Zeit. I. p. 241 sqq.
(2) l. l. II. p. 72.

torico argumento probari (1). *Deinde* animadvertatur, istiusmodi conjecturae refragari, cum formam, tum ipsam Euangelii Marcionitici indolem; *formam* ajo, quum vix credibile sit, integram aliquam, qualemcunque tandem, rerum Euangelicarum expositionem istis omnibus caruisse, quae in Marcionis libro desiderari vidimus, quorumque defectu hic saepius non tantum brevior, sed revera abruptior factus esse dicendus est (2); *indolem* vero, quum sat multa ei insint, quae Marcionis quidem placitis optime consenent, ab Apostolo vero s. Apostolico viro proficisci vix potuerint (3). *Tertio loco* rite teneatur, qualem se hac in re ipse Marcion gesserit. Euangelii scilicet a Tiberiano usque ad Antoninianum tempus eversi emendatorem se professus, ut ecclesiasticam doctrinam a Pseudapostolis corruptam esse ostenderet, non tam ad *antiquitatem* quam ad *veritatem* ipsius sui Euangelii provocavit. Plane eodem modo, quo Tertullianus, Epiphanius ceterique veteris ecclesiae doctores, Marcionem quoque in librorum sacrorum integritate et authentia dijudicandis dogmaticam, quam ajunt, crisin exercuisse constat, ut vel minor etiam causa sit,

(1) de Wette, l. l. p. 112. Olshausen, l. l. p. 191, 212 sqq.

(2) de Wette, l. l. p. 112 sq.

(3) Hahn, l. l. p. 223. — Relatum huc etiam volo, quod initio Euangelii Marcionis legimus: *ὁ θεὸς κατῆλθεν* (s. *κατελθὼν ἐφάνη*) *εἰς* (*ἐν*) *Καφαρναούμ*. — Quae Ritschelius l. l. p. 147 [1]) scripsit, ut Tertullianum hanc lectionem apud Marcionem invenisse minus verosimile redderet, nullius prorsus momenti habenda apparebunt nobis, reputantibus, e Marcionis sententia ipsum Deum bonum sub *Christi* nomine in terram descendisse. Cf. quae habentur hujus opusc. p. 25 sq.

cur eum ad pristina documenta recurrisse statuamus. Observetur *quarto loco*, non intelligi, qui factum sit, ut liber, quo tamquam fonte usus fuisse scriptor Lucae perhibetur, auctoritatem suam in ecclesia tam cito amiserit. Tradit enim Tertullianus (adv. M. IV. 5), Marcionis Euangelium plerisque nec notum fuisse, nullis autem non notum, ut non eo damnatum, illudque habuisse quidem ecclesias, sed *suas*, tam posteras quam adulteras, Marcione scilicet auctore, vel aliquo de Marcionis examine (1). *Postremo loco* haud omittendum, ad Lucani Euangelii proöemium Marcionis fautores frustra provocare, quum exinde quidem appareat, plures ante ipsum hujus proöemii auctorem rebus gestis Jesu enarrandis operam navasse, nulla vero cum probabilitate ex hujus verbis efficiatur, eum nil aliud sibi proposuisse, nisi ut librum quendam, quem invenerat, Apostolicum, quo tota fere Conservatoris vita καθεξῆς exponebatur, aliquot duntaxat additamentis augeret, atque sic, ut ita dicam consummaret (2).

Repudiata igitur eorum sententia, qui proprio quodam et antiquiori libro Marcionem usum fuisse contendunt, recensenda nobis supersunt nonnulla quaedam argumenta, quibus Euangelium Lucae canonicum jam ante Marcionis aetatem eadem, qua ad nos pervenit forma, exstitisse, neque igitur haeretici istius errorum refellendorum gratia compositum esse, probatur.

(1) Olshausen, l. l. p. 213.
(2) Ritschl. l. l. p. 276 sqq.

Huc *primum* pertinet, quod ex uno quasi ore omnes omnino veteres tradiderunt, Marcionem cum cetera Euangelia, tum etiam id quod Lucae inscriptum est, invenisse, novisse, purgandumque sibi sumsisse. Hoc autem misso facto, ad aliud continuo pergimus argumentum, quod ex *Justini Martyris* testimonio peti posse videtur. Quaeritur nimirum, an Lucae Euangelium canonica, qua illud novimus, forma, huic ecclesiae patri Marcionis aequali innotuerit. Negat Ritschelius, multusque est in demonstrando, doctorem illum in libris suis non Lucam ipsum laudasse, sed narrationem aliquam, qua etiam Lucae scriptor tamquam fonte usus est (1). Longum profecto foret, omnium, qui huc in censum veniunt, locorum diversam perscrutari rationem; at hoc tamen monitum volo, nonnullos certe esse, qui dubitare nos vetent, quin Justinus non solum illas Lucani Euangelii partes, quibus Marcion usus est, sed integrum nostrum Lucam noverit, atque ut canonico in scriptis suis usus sit.

Justinum plura memorasse e nativitatis, infantiae, juventutis, baptismatis Jesu historia, quae pariter, iisdem subinde verbis, in tribus prioribus Lucae Capp. relata a nobis leguntur, ipse Ritschelius infitiari non potuit (2). Hanc autem convenientiam inde explicandam esse conjecit, quod uterque, cum Justinus tum

---

(1) l. l. p. 130 sqq.

(2) l. l. p. 141 sqq. — Cf. Semisch l. l. p. 134 sqq. Stemler l. l. VI. 1. p. 36 sqq. Neudecker l. l. p. 277.

Lucae scriptor ex iisdem fontibus hauserint (1), ex parte saltem argumentis usus, quorum levitatem jam alii extra omnem dubitationem posuerunt (2).

Luc. XI 42 Justinus canonicam lectionem τὴν κρίσιν, non vero, quam huic a Marcione substitutam esse tradunt Tertullianus et Epiphanius, τὴν κλῆσιν exhibet (3).

Summi autem hac in re momenti est, apud Justinum occurrere quoque ea, quae Luc. XXII 44, de Jesu in Oliveto anxio Deum orante, narrantur. Tot enim verbis apud eum legimus (4): ἐν γὰρ τοῖς ἀπομνημονεύμασιν, ἅ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συντετάχθαι, ὅτι ἱδρὼς, ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου καὶ λέγοντος, παρελθέτω εἰ δυνατὸν τὸ ποτήριον τοῦτο. Quicquid sane dicat Ritschelius (5), hisce verbis, quae a Marcione praetermissa fuisse certissime constat, admodum probabile redditur Justinum Lucae euangelium, qua ad nos pervenit forma, cognovisse (6). Ad Lucanum Euangelium aetati apostolicae vindicandum denique haud parum fa-

---

(1) l. l. p. 146. — Eodem modo hac de re judicat v. Vloten, l. l. p. 36.

(2) Vid. v. c. quae ad refutandum Crednerum scripsit Stemlerus l. l.

(3) Justini Martyris Apologiae II et Dial. cum Tryphone. Edit. Thirlbii. p. 172.

(4) l. l. p. 361.

(5) l. l. p. 148 sq.

(6) Cf. Semisch, l. l. p. 142 sqq. — Stemler, l. l. p. 62 sqq. — Dubitat quoque v. Vloten, l. l. p. 37 sq.

ciunt nonnulla Apostolicae aetatis ut videntur indicia, quae in ipso illo libro reperiuntur. Imprimis huc refero: Luc. IX. 27, XIII. 26 et XXI. 27, 32 sq., quibus locis varia continentur vaticinia, jamjam futurum propeque instantem Jesu, tamquam mundi judicis, reditum spectantia, quorum vero aperto sensui, si ipsorum verborum significationem urgeas, eventus parum respondisse dicendus est. Sane, si Marcionis demum aetate, aut serius etiam Lucae scriptor *vixisset*, non magnopere dubitandum videtur, quin ejusmodi effata expunxisset potius, aut ita saltem immutasset, ut narrationis suae *ἀσφάλεια* (Luc. I. 4) in discrimen vocari non posset (1).

Quodsi autem haec omnia conjunctim spectemus, simulque nobiscum reputemus, quod jam supra monere me memini, saepius non intelligi, quonam consilio interpolator in interpolando egerit, quum *sub*inde nonnulla addidisse dicendus sit, quae, quamquam invisa Marcioni esse deberent, hujus tamen refellendi studium ne e longinquo prodere videantur (cf. IV. 16: *οὗ ἦν τεθραμμένος* X. 21 *καὶ τῆς γῆς*; porro XVI. 17, XX. 35, XXI. 18 etc.); cuncta igitur illa si universe reputemus, quae hucusque de Marcione a nobis dicta sunt, deque ejus in explicanda S. Scriptura ratione e patrum testimoniis, nec non de

(1) Cf. quae anonymus scriptor libri: die Evangelien u. ihre Verfasser u. s. w., nuper hac de re scripsit in opusculo cui titulus est: Bis zu welcher Zeit, und von wem muss das Lukas-Evangelium abgefasst worden sein? p. 39 sqq.

vi, quam Pauli epistolis absque ullo dubio intulit, equidem certe nescio, cur missa facienda sit sententia, ab antiquissimis inde temporibus omnibus commendata, Marcionem Lucae, quem invenerat, textum canonicum adulterasse atque variis modis interpolasse.

TANTUM.

CORRIGENDA.

Pag.	2.	inf.	*alsa*	leg. *falsa.*
»	21.	supr.	*quo de*	» *quod e.*
»	52.	s.	*monachiam*	» *monachicam.*
»	77.	i.	*mutaverint*	» *mutaverit in.*
»	»	i.	*κόπλου*	» *κόλπου.*
»	134.	med.	*contendunt*	» *contendant.*
»	135.	i.	*παραδήρμεθα*	» *παραθέρμεθα.*
»	143.	m.	*τήλος*	» *τέλος.*
»	145.	s.	*quomode*	» *quomodo.*
»	158.	s.	*siluisse hanc ob rem, quam*	» *siluisse, hanc ob rem quam.*
»	161.	s.	*jam et forte*	» *casu et forte.*
»	162.	s.	*δόξιν*	» *δόξης.*
»	164.	adn.	Schweglero	» a Schweglero.
»	166.	m.	*cumque*	» *eumque.*
»	172.	a.	*sensum*	» *censum.*
»	173.	s.	*videri*	» *visum esse.*
»	187.	i.	*eum*	» *cum*
»	188.	s.	*onim*	» *enim.*
»	189.	m.	*hebendus*	» *habendus.*
»	192.	m.	*interfuisset*	» *interfuisse.*
»	»	m.	*θηλεζούσας*	» *θηλαζούσας.*
»	195.	m.	*superstracta*	» *superstructa.*
»	198.	i.	*habeantur*	» *habeatur.*
»	201.	s.	*tum* Ritschelius *cum*	» *cum* Ritschelius *tum.*
»	202.	s.	*conscriptum*	» *conscriptus.*



